

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Vindiciae Lutheranae Melchioris Cornaei Jesuitae appendici pro disputatione Pitzliputzlii cum anima monopisti oppositae**

**Titius, Gerhard  
Schneider, Johann Conrad**

**Helmestadi, 1656**

[urn:nbn:de:bsz:31-67731](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67731)



80A 8946 2

*Handwritten scribble*

\*KSIFCARNI\*  
KUNST

11.  
Rf  
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 10.  
2. 10.

6.

Histor.



Conspectus  
Dissertationum ad histo-  
riam Lutheri, refor-  
mationis, A. S. C. et  
Ecclesiae Luther.  
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-  
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-  
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute  
Henrica, Lutheri, Mattheae Fla-  
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-  
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-  
cis Rom. Leonis X. litterae in-  
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus  
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa romanus.  
7. loh. Wencesl. Sens Lutherus  
cum sole comparatus.

8. Ursus Wagau Dr. Crisp.  
Wend. Wend. J. Mader

Luther <sup>praeter intentionem adhaeret</sup>  
Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend.  
9. loh. Baldhaf. Bernhold de cha. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend. Wend.

factenbas pseudopropheta nuy  
in Martino Lutheri uirtute  
omnium obuiis.

10. Laurenti Rhodmanni oratio  
de praecipuis dei beneficiis a  
deo per VII. Saxoniae electores  
et d. Martin. Lutherum et d.  
Philipp. Melancthonem in aca-  
demiam Witeberg. collatis.

11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-  
therus philippo Landgrauio  
bigauriam concesserit.


12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-  
thero ex accisionem styli re-  
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-  
ciae J. Lutheri et J. Melanch-  
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-  
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevien oratio histo-  
rica de initio, causis et pro-  
gressu C. A. et de vita ac  
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-  
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusla-  
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-  
dei formulae praecipue A.  
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo  
A. Conf.



19. Io. Christ. Guesz filii de Au-  
gustana confessione Paltii dot-  
Sicii, medici Halensis cura grae-  
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-  
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-  
vinae providentiae vestigiis  
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland ad  
do Regulam summi numeris  
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus  
Ponderatione pro studio servatae  
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Comitia re-  
gulata in A. C.
25. Geshardi Fitzii, Vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Caroli de Religio-  
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam  
 Lutheranam non schismaticam  
 esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia  
 plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio  
 Gallia multis modis luthera-  
 nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-  
 mationis lutheranae tuba de  
 perpetuo christianorum iubi-  
 latio. Additus est catalogus  
 doctorum et professorum theo-  
 logiae in academia Witteber-  
 gensi.

F r a n c.



VINDICIÆ LVTHERANÆ, <sup>XXVI.</sup>  
MELCHIORIS CORNÆI  
JESUITÆ

APPENDICI  
PRO DISPVATIONE

PITZLIPUTZLII  
CVM ANIMA MONOPISTI  
OPPOSITÆ

ET  
DISPVATIONIS PUBLICÆ  
loco propositæ  
IN ILLVSTRI ACAD. IVLIA


Ad diem April.

AUT. ET PRÆSIDE

GERHARDO TITIO S. THEOL.  
DOCT. ET PROF. ORDIN.

Respondente  
IOANNE CONRADO *Schneider*  
Suabacense Norico.

*Accessit in fine*  
APPENDIX Iesuitica ipsa.



HELMESTADII,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO  
Excudit HENNINGUS MULLERUS,  
C I O I O C L X I.



ILLVSTRI AC GENEROSO

DOMINO

DN. RABANO à CANSTEIN

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTO-  
RIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO  
INTIMO, SUPREMO AVLÆ MARESCALLO  
CAMERÆQVE PRÆSIDI, CAPITANEO  
HORENBURGENSEI &c. &c.

MAGNO STUDIORVM SAPIENTIÆ, ET  
SACRORVM CVM PRIMIS, AC  
DIVINIORVM ILLORVM

AMATORI ET PATRONO

DOMINO SVO GRATIOSO

VINDICIAS HAS, EXERCITII ACADEMICI  
LOCO PUBLICE DEFENSAS

*humili animi submissione*

*Consecrat*

IOHANNES CONRADUS Schneider  
RESPONDENS.

✓



**F**ecerat Melchior Cornæus, de grege  
 Lojolæ scurrili dicacitate notissimus so-  
 cius, Herbipoli ex officina typographicâ  
 Iobi Hertzii Anno M. DC. LIIX. ociosi  
 ingenii perulantem lusum, Disputatio-  
 nem *διαλογικῶν* Pitzliputzlii dæmonis, cum animâ se-  
 pararâ Monopitii Lutherani. Et cum aliâs sibi mirè  
 sapere videatur, hic per ingentem iudicii eclipsin par-  
 tes Papisticas malo ipsi dæmoni contra Monopistum  
 propugnandas detulerat, ne deinceps dubitarent  
 Lutherani, Papicolas *doctrinas demoniorum* tueri, &  
 his ipsis advocatis ac patronis, præclaram causam <sup>1. Timoth.</sup>  
 contra sese agere. Scopum institutæ Confabulatio- <sub>IV, 3.</sub>  
 nis illum sibi propositum habuit lepidus socius, ut  
 doctrinam Lutheranorum de solâ fide in mortem &  
 meritum Christi, apud Deum *remissionem peccatorum*  
*accipiente*, contortis in odium expositionibus, absur-  
 ditatis & impietatis suspectam, quibus posset, redde-  
 ret, tanquam introducens *neglectum* studii pieta-  
 tis, & omnium bonorum operum. Etsi autem pro-  
 trita hæc & rancida Papistarum calumnia securè con-  
 temni poterat, quia tamen Sophistæ frontem perfri-  
 cantes, novis semper, ad imperitum populum modis  
 A 2 eam

eam interpolare student, occurrendum est improbis conatibus, & calumniatores confundendi sunt, ut, si ipsi quidem apud suos mentiendo erubescere non didicerint, hos à nobis rectius informatos, eorum pudere incipiat. Talem operam Cornæano confarcinato Dialogo, superiore anno apud nos impenderat Iohannes Georgius VVagemannus, Hannoveranus, industrius nec indoctus noster auditor, qui collectis primùm ex illo Dialogo certis fundamentis, quibus universa illa Satânica Iesuitæ oppugnatio innitebatur, brevem suapte operâ conscriptam Disputationem illis opposuit, in quâ fragilitatem eorum, & futilem Iesuitæ Sycophantiam non infeliciter ostendit. Iesuitam certe ita pupugit hic quamvis *tyrunculus*, qualem ipse eum contemptim non semel, etsi immeritò appeller, ut ultionem ille, *difficilibile tumens jecur* non potuerit diu continere, sed mox iterum conscripto mordacissimo Schedio, *Destructionem Titio-Hamaxandricam, ex adunco Pitzliputzlii naso suspensam* in publico dederit. In quo quidem Schedio convitia & sarcasmos ingenti numero & pondere, eruditionis autem & sanæ mentis vix semunciam deprehendere licet. Ne tamen exultet & fortè sibi plaudet benè saginatus socius, placet pro vindicando commilitone nostro VVagemanno, cum ille extrâ Academiam jam vivat, Schedion illud Lojolicum serius & nuper

nuper demum ad nos delatum, lividum & petulcum, breviter excutere, & post commonstratas ejus ineptias, non quidem ex adunco Pitzliputzlii (quem soli Cornæo contubernalem relinquimus) de Rhinocerotis tamen naso in vicem suspendere. Convitia & scurrilitates, quas sine modo in nos evomit bellissimus *Iesu socius*, non ulciscemur, etsi nec jus nobis, nec facultas deesset; contenti eopse saltem, quo nos perfundere voluit, unguine, subinde ipsummet delibutum reddere. Retinebimus autē fundamenta Disputationis ipsius, qualia à VVagemanno collecta, & jam à Iesuità pro suis agnita sunt, ejusque novas in Destructionem VVagemannianam molitiones, statim iterum dejiciemus. Lector attendat, & sine affectu in utramque partem judicet.

---

FUNDAMENTUM PRIMUM.

*Diaboli credunt toti Evangelio, tu (Monopiste Lutherane) non nisi mutilato truncatoque per Lutherum, Diaboli magis sunt dicendi Evangelici, quàm Monopisti.*

Responderat Wagemannus, *Diabolos habere quidem notitiam quandam rerum in Scripturà revelatarum, & credere ac pro vero habere, Deum esse creatorem cæli & terræ, Christum Dei filium esse &c. at firmâ & salutari FIDV CIA, quæ sit quasi anima fidei Evangelicorum, & quâ CHRISTVM ut suum apprehendant*



dant sibi que applicent, destitutos esse. Nullibi enim Christum perhiberi Angelos aut assumpsisse, aut redemisse. Hic verò jam ogganit lepidissimus Cornæus. O Titiole, *να τὰς φένας*? Quid facis? non vides incogitantiam tuam? tu contendis probare, Monopistos PLVS credere quàm dæmones ex eo, quod hi non credunt Evangelium sibi utile, isti ita — Monopisti credunt Evangelium ad homines attinere, an non & dæmones id tenent? Monopisti credunt illud salutis nuncium nihil spectare ad dæmones; Sit ita. An non & idem Dæmones norunt ac credunt? Ergo utrique idem credunt, Ergo non hi minus credunt, quàm isti, Ergo tu ovum tondes istud adducendo. Nos contra inania hæc verborum ciepitacula ita; Corneole socie, *να τὰς φένας*! ubi Wagemannus verbulum fecit de plus aut minus ut tu jam hîc loqueris, credere, de extensiore notitiâ & assensu revelationis divinæ, salutem hominum concernentis, in Diabolis, comparatione notitiæ & assensus, quem Evangelici præbent revelationi modò memoratæ? An non disertè dixit, FIDV CIA, quæ sit instar animas Evangelicorum, quæ Christum ut suum apprehendant, sibi que applicent, Diabolo destitui? Quo ipso è fundamento infulsî mendacij simul convicerat assertionem illam tuam, Diabolo magis esse dicendos Evangelicos quàm Monopistos. Ovum ergo hic tondes ipse, & clamorem pro vellere donas.

Vidit opinor, Cornæus futilitatem accusationis suæ. Ne tamen illa aliis quoque nimis appareret, ad ambiguitatem verborum sese recipit, & fiduciam habere non esse credere ait, de actu credendi (assentiendi) non sperandi se contendere; Evangelium sese iatius capere de totis Bibliis (& quare non etiam pro legendâ aureâ monachali?) ibi se multa credere, que Lutherus detruncaverit. Nomino, ait, ex Novo Testamento, ut jam Vetus taceam, Epistolam Pauli ad Hebræos, quam ille in Prologo ejusdem negat esse ullius Apostoli, nomino Epistolam Jacobi & Judæ, quas penitus contemnit.

Nomi-

Nomino Apocalypsin Iohannis, quam in Præfat. N. T. ait se neque pro Prophetico, neque pro Apostolico (libro) recipere. Respondemus, n.eram scripturarum inscitiam esse, quod Cornæus fiduciam habere non esse credere, ita indiscretè & de plano pronunciat. Diversum apertissimè probat tum Exegetis, quâ fides in scripturâ exponitur per confidentiam Psal. LXXIIX, 22, non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus, aut, fiducia permutatur cum τῷ credere, Psal xxxi, 1. in Domino confido, non confundar, quod Apostolus Rom. x, 11. sic exponit, quisquis credit in eum, non confundetur; tum Oppositio, quâ fides opponitur diffidentia Rom. IV, 20 & vice versâ ὀλιγοπιστία h. e. parva fiducia, firmæ fidei Matth. IIX, 26. Cap. XIV, 31. Lucæ IIX, 25. Quod rectius sine dubio expendens Cornelius Jansenius, Cornæo haut paulo doctior & modestior autor, Commentar. in Concord. Evangel. Cap. 134. hunc in modum scripsit. Non enim, cum fidem in se exigit Servator, simpliciter eam fidem requirit, quâ credatur Christus esse filius Dei, & verax in suis sermonibus, sed & quâ fiducia in se collocetur. — Hæc est fides, quæ timorem & perturbationem pellit à corde &c. Has nuces frangat si potest, ociosus ille ovorum tonsor Cornæus. Transeat porro abusiva illa Evangelii, pro totis Bibliis acceptio. Epistolam ad Hebræos Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipit, ait Hieronymus semel atque iterum, Commentario videlicet ad VI & IIX. Jesaiæ Capita. Atque idem scribens ad Dardanum, testatur, <sup>Epist. 129.</sup> quemadmodum Latini ista ætate diversum senserint à Græcis, ita vicissim Græcorum ecclesias Apocalypsin Iohannis eadem libertate, contra quàm Latini facerent, non suscepisse. Epistolas Jacobi, Judæ, posteriorem Petri, & duas postremas Iohannis, multi veteres genuinas negarunt, uti tradunt Eusebius historiæ libro tertio, & Hieronymus de Scripturis ecclesiasticis. Si jam Cornæus Luthero libros hos in Canonem N. T. recipere dubitanti,

bitanti, perget objectare; quod *Evangelium deartuaverit detruncaveritque*, imprudentissime eidem culpæ, tot veteris, Latinæ ac Græcæ ecclesiæ, doctrinæ & pietate celeberrimos Doctores involvere necessum habebit. Et, an existimat Cornæus Evangelium truncari, aut, aliquod ad salutem scitu necessariæ doctrinæ caput deperire prorsus, nec in aliis quæ nunquam apud veteres in dubitationem venerunt N. T. libris idem repertum adhuc iri, si epistola Judæ, v. c. aut Jacobi, in Canonem non intromittantur? Si id existimat, meritò quis dicat *plus sapere occisam suam, quàm istud insulsum cogitatum*. Si autem non existimat, quo jure Lutherum cum nominatis Veteribus accusat, quod *Evangelium detruncaverit & deartuaverit*? Sed condonemus hoc socio, quem *semisopitum* id scripsisse verosimile est. Confirmat hanc suspicionem nostram, quod de *verbis suo tradito* ita miserè jam statim ineptit. Objecerat Wagemannus Papicolis, Purgatorii flammæ, septē Sacramenta, Papæ primatum & similia, de quibus Evangeliorum libri nihil norunt, cum diabolis (quod Cornæus laudaverat) credentibus, notissima magni Basilii verba è Sermone ἀσκητικῷ de Fide: *Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum quæ scripta sunt, vel inducere quicquam, quod scriptum non est*. Respondet Cornæus, mirari se, Titium (Wagemannū) hæc nunc producere, quæ longo tempore à Bellarmino l. 4. de V. D. cap. 11. sint expedita. Quid, pergit, an non Basilius ibidem laudat fidem Abrahamæ? certe hîc *Evangelium & scriptum Dei verbum nullum habuit*. Respondemus, mirari Titium, quod Cornæus, nihil adeò responsi è proprio sapientiæ penu promere potuerit, sed ad Bellarmini frigidam responsionem eum amandare sit coactus. Quid si verò Titius jamdudum responsionem Bellarmini, & cum eà simul Cornæum expederit? Sic ille, Ostensione Summariâ Cap. I. §. V, pag. 32. post prolata in medium illa ipsa Basilii verba. Sole pu-

le puro clariora sunt hæc verba, nec patiuntur illa se nubeculâ obscurari quam accivit Bellarminus libro iv. de V. D. cap. xi §: *Profert quinto*, tanquam loqueretur Basilius de additionibus Scripturæ *repugnantibus*, vel de iis traditionibus, quæ *privati homines ex proprio capite* addant. Nam quæ repugnant Scripturis, non possunt dici illis addi, cum destruant eas potius ac evertant, & loquuntur verba planè generaliter, quasvis quorumvis additiones respicientia. Ne nunc dicam, Pontificum Romanorum decisiones, verè additiones esse *privatorum hominum, ex proprio capite* profectas, cum eminentissimus ille vicariatus ipsorum ac Primatus, cui jus ac infallibilitas in dubiis circâ fidem determinandi annectuntur, nullo Dei verbo hætenus petentibus probari potuerit, sed quæ prolata sunt, *dicta fuerint quædam figurata de Petro, & silentium de Pontifice*. Hæc ita ibi Titius. Abrahamum scriptum Dei verbum nullum habuisse, verum est, sed stupidè à Cornæo objicitur. Objectum enim fidei ipsius, fuit illud ipsum, quod deinde, & adhuc in libris SS. est consignatum. Papicolis autem verbum Dei scriptum, creditur diversa etiam dogmata non nulla, ab iis quæ in scripturâ habentur, proponere. Similis *cerebri Lojolitici eclipsis* est, quando pergit nugari Cornæus; *an non symbolum fidei nostræ (symbolum Apostolicum, sic dictum) est de fide tenendum? Atqui hoc, eodem teste Basilio, non est in Evangelio scriptum*. Quoad totidem verba sanè ibi non est scriptum, quoad rem ipsam factis est scriptum. Miramur tantillam rem à tanto socio ignorari! Tandem itaque extremo conatu Basilius propius in nos immittit. *An sibi Basilius adversus, inquit, qui alibi traditiones non scriptas, etiam de rebus fidei ad salutem necessariis admittit? Vbi vero? De Spiritu S. cap. 27. sic ait. Dogmata quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto*

tradita receperimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura ecclesiastica. Citat eundem locum, è versione tamen paulò aliâ, Becanus Manual. de Traditionibus §. 12. In Græco textu, quem Cornæi oscitantia non introspexit, sic est: τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρύγματων, τὰ μὲν ἂν τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχουεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως &c. Vbi δογμάτων vox, commodissimè verti potest per ritus & ceremonias varias, piè circa cultum institutas, uti usurpatur illa vox apud Paulum, Col. 11, 14; Per κηρύγματα autem, intelligi articuli fidei & doctrinæ, ad salutem necessariæ. Elumbem jam verò & infantilem hanc oporteat esse consequentiam; quæ in Ecelesiâ servantur κηρύγματα καὶ δόγματα doctrinæ & ceremoniæ, partim scripta doctrinâ, partim Apostolorum traditione sunt διαδοθέντα (sic est in Græco) ergò dogmata fidei quædam, eaque ab iis quæ in scripturâ proponuntur diversa, per oralem traditionem Apostoli ad posteros propagarunt. Accedit, quod γνησιότης libri illius Basiliani, magnam ejus partem, merito suo dudum fuerit suspecta. Oculatissimus ipse Erasmus, epistolâ ad Culmensis episcopum, præfixa huic Basilij libro, ex styli quam deprehenderit diversitate aliisque rationibus astruit, alium quempiam, quo volumen redderet autius, multa intertexuisse vel ab aliis autoribus decerpta emblemata, vel ex se reperta. Quod si Bellarmino libro 1. de amiss. grat. Cap. xiiii. sub initium, Basilij quæstiones breviores, quod non videantur admittere traditiones non scriptas, cum econtrâ Basiliius ad Amphilochem, libro de Spiritu sancto eas acriter defendat, licuit in dubium vocare, nos simili argumento librum de Spiritu sancto in dubium vocabimus, quod in aliis genuinis libris & locis, Basiliius traditiones non scriptas removeat. Talis locus est Epistolâ 80. Interprete Jano Cornario : Non putamus  
justum

justum esse, obtinentem apud ipsos consuetudinem legem ac regulam facere veræ doctrinæ — igitur scriptura divinitus inspirata arbiter à nobis constituatur, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis sermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis suffragium accedet. Fiat ergò judicium ex libris illis, de quibus nemo controversiam movet quin sint Basiliani. In fine (ne id prorsus prætereamus) adducit Cornæus verba Apostoli II. Theslal. 2. traditiones obtinetis quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam. Jubemus eum ex his verbis probare, Paulum diversa dogmata prædicasse ab iis, quæ scripserit. Id ni fecerit, dicemus nos, eum præ stupore non videre, ad verba Apostoli, quæ non rectè intelligat, velut Polypum ad saxum, tenaciter adhærescentem.

FUNDAMENTUM SECUNDUM.

Lutheranus, qui talem secum syllogismum facit (Quicumque justus est & justificatus, huic cælum & beatitudo debetur, Atqui ego sum justus & justificatus. Ergò.) Credit, ait Jesuita, non tam testimonio divino, quam suâ ipsius & prædicantium persuasione permotus.

Wagemannus ut syllogismum Lutheranorum undique muniret, respondit primùm ad Majorem, & positâ conditione, si fortassis illam etiam negare vellet Jesuita, luculenter probatam dedit. si (inquit) de majore propositione loquatur Jesuita, impiè contradicit Paulo Rom. IV, 7, 8. Beatos pronuncianti eos, quorum iniquitates sunt remissæ, quibus Deus non imputet peccata. Occupaverat simul objectionem quandam Papistarum, quâ ipsis aliàs solenne est, justitiam Christi nobis imputatam, nescio cujus absurditatis arguere. Occupationem hanc Wagemanni

filentio transmittere coactus est Jesuita. De majorè autem propositione allati ipsius syllogismi dicit, *nunquam se negasse, exstare testimonium divinum, cui illius Majoris assensus aliquis inniti possit; sed tamen hoc se negasse, quod Monopista eo testimonio in assensu nixus sit.* Declarat quod dixit, exemplo: *an non mortaliū aliquis potest sibi persuadere, Deum esse, ideò quia ex Philosophià naturali perspectum habet esse primum ens, & primam causam, & non ideò quia Spiritus sanctus in scripturis testetur, Deum esse? quid ni? Et si tunc ego assererem, eum tenere quod Deus sit, non testimonio divino inductum, sed ratione naturali propria persuasum, an tunc, inquam, ego testimonio spiritus sancti impie contradicerem? Certè Titi, parum sapias, si tu hæc vel ipse scripsisti, vel ab Hamaxandro tuo ita temerè conscripta probasti.* Quod hic faterur Cornæus, *nunquam se negasse, assensum majoris in syllogismo Lutheranorum, quem sub persona dæmonis sibi exagitandum sumpterat, exstanti alicui testimonio divino inniti posse, hoc meritò acceptamus.* Contemnimus autem intempestivam illam sapientiam, quâ Wagemanno vult ostendere, posse uni eidemque veritati sub diverso medio probandi quempiam assentiri. *Parum sapias Cornæe, si aliud nihil docere poteras Wagemannum.* Id ille calceis dudum attrivit. Et quare tu pro lubitu supponis, Monopistam majori istius syllogismi præbere assensum, inductum ratione tantum naturali? cum ipse fateri jam à Wagemanno coactus sis, *exstare divinum testimonium, cui assensus illius majoris inniti possit? An ita solent agere Monopisti? Hic recipe ad Te tuum illud; stupore an calumniâ Titius agatur, nescio.*

*Pergit ad cætera Cornæus. Dixerat Wagemannus, sensum quem credens habeat, de præsentis suæ fide, ineptè à Jesuita persuasionem (temerariam quasi) vocari. Voluerat id dicere, posse credentem de suâ in Christum fide, per accuratam sui*

sui ipsius excussionem, pro præsentis certum esse. Sicuti nota sunt Augustini verba; *credere fit mente, & videtur mente, quoniam menti nostræ fides nostra conspicua est.* Ad hæc Cornæus, *ego nego esse sensum fidei, Prius proba esse sensum credentis, & non temerè opinantis.* Juxtà Cornæum itaque, qui credit, non potest certò nosse quod credat, sed temerè saltem id opinatur. Quid si verò aliquis pro Wagemanno similem in modum arguetur: Ego nego Cornæum *sensisse* quod hæc seriò scripserit, quando hæc chartæ ille vit. Probet primùm se sensisse, se pro certo novisse, quod seriò hîc scripserit, & non *opinatus* saltem *temerè* sit, quod scripserit. Probet Cornæus se scire quid dicat, & non opinari saltem quòd dicat, & quid dicat? Nisi id ante probaverit, nemo tenebitur ei respondere. An fortassis hoc vult Cornæus, etsi certi simus per experientiam de actu aliquo fidei pro præsentis in nobis, tamen incertos esse de ejus qualitate, & *opinari* saltem, quod fides illa verbo Dei sit conformis? Si hoc vult implexis suis verbis, age, eat nobiscum per exempla. Accedat nobiscum ad sacram scripturam, probabimus huic normæ conformem esse fidem nostram. Interea *negationem* ejus aspernabimur.

Porrò dixerat Wagemannus, *nosse debere* Cornæum, *quia major propositio in proposito syllogismo fit Scripturæ, etiamsi minor humanâ experientiâ fit certa, conclusionem tamen ceu revelatam, & tanquam fidei divinæ fit, credendam venire.* Idque ibi exemplo statim declaraverat. Cornæus *dat hoc liberaliter*, & iterum *dat, quamvis cum multis aliis Theologis abnuere possit*, imò & tertiò *dat, idque ultrò, quia allubet esse liberali*, quando retinere non potest. Acceptemus itaque utraque manu *ἀδωγῶν* quamvis *δῶγῶν*. Pertexenda tamen primùm hîc nobis sunt Wagemanni verba. *Applicet autem Cornæus hoc quod dixi ad minorem syllogismi Lutheranorum à se producti* (syllogismus Lutheranorum



hic est; Omnis qui credit fide divinâ, est justus, Atqui ego fide divinâ credo, Ergo) *nec porro nugetur, Lutheranos suæ ipsius persuasioni, non testimonio divino (verbo alicui Dei) credere, se per fidem in Christum, quam pro presenti secum experiuntur, esse hæredes beatitudinis. Hactenus Wagemannus. Hic jam Cornæus insanientem suam sapientiam effundit. Hæc major non est scriptura. Qui sic verò Cornæole? ostende quod dicis. An fortassis existimas ideò majorem illam non esse scripturæ, quod vocolæ illæ, fide divinâ, non habeantur in scriptura? Si id sentis, valdè ineptus es. Sed facimus tibi potestatem, hîc te apertius explicandi. Minor non est certa per experientiam. Ajo esse falsam in Monopistis persuasionem — in syllogismo illo Monopistico, major est falsa, minor falsa & inanis persuasio. Vin audire, Titi, cui suppar sit syllogismo tuus Monopisticus syllogismus? Audi. Similitimus est huic, quem faceret Nestorianus, vel quivis damnatus olim hæreticus: Qui fide divinâ credit, est justificatus, ego Nestorianus fide divinâ credo, Ergò. Vel, quem faxit hunc in modum Turca: Qui fide divinâ credit est justificatus, Ego Turca fide divinâ credo, Ergò — omnes dicunt uti tu: Major est de fide & revelata. Minor evidenti experientia certa. Ergo conclusio est de fide. Quod tu hisce erroribus responderis, tibi ex me responsum habeto. Minorem ergò syllogismi nostri, (ego fide divina credo,) non esse certam per experientiam ejus, qui juxta Apostoli monitum se ipsum exploret an sit in fide? II Cor. XIII, 5. sed experientiam illam esse falsam & inanem persuasionem probat inde Cornæus, quia alii, hæretici & Turcæ, qui non credant fide divinâ, tamen & ipsi DICANT se credere fide divina. Cornæole sapientum octave, πᾶ τὰς ὁρῆσας! Quærimus jure meritò ex te in vicem, num noveris te sanâ mente, num noveris te siccum & sobrium scribere aut loqui? an id falsò saltem & inani persuasionem opineris? Putamus profus, te id falsâ persuasionem opinari.*

Si

Si quæris causam, accipe è tuâ disciplinâ; quia Mopsus & Marcolphus, quos tu pro fatuis & morionibus habes, quia Silenus, quem *hesterno inflatum venas ut semper Iaccho* ipse nosti, omnes tamen *DICANT* uti tu, se nimirum sana mente, se ficos & sobrios dicere & facere. *Quicquid jam tu hisce morionibus responderis, tibi à nobis responsum habeto.* Neque enim *lac lacti, nec aqua aquæ similior est,* quàm tuum *DICERE* cum illorum *DICERE.* Hoc ita jam habes *Cornæ,* quod si hanc plagam non persentiscis, *Arcadico perpol es corio.* Nempe, si nemo secum certus esse potest, se circà objectum aliquod veritatem attigisse, quia alius, quem circà id ipsum objectum à veritate aberrasse ex rectis principiis convincere est, *DICAT* & jactitet, se etiam veritatem illam attigisse; de nullâ non re incertos nos esse deinceps, & *Pyrrhonismum* ex orco reducem, expanso finu admittere oportebit.

#### FUNDAMENTUM TERTIUM.

*Quando Apostolus Rom. III, 28 docet hominem justificari fide, sine operibus legis, non docet solâ fide hominem justificari. Excludit enim operantium legis Mosaicæ.*

*Wagemannus propter imperitiam Jesuitæ, ut ille deinceps cognitam haberet doctrinam Monopistorum, quàm sycophantico planè penicillo depinxerat, verum sensum propositionis illius exclusivæ, quod solâ fide homo coram Deo justificetur, in antecessum hîc proposuit. Simul etiam ruditatem vel malitiam objecit Cornæo, quod contrâ nos citaverit verba Augustini de grat. & libr. arbitr. c. 7. non sufficere homini fidem si male vivat &c. Hoc enim nos ipsos summa contentione docere. Penetravit hoc teli*

Arca-

Arcadicum etiam Cornæi corium, ut de excusatione five ruditatis, five calumniæ, anxie jam circumspiciat. *Non est, inquit, quod me Titius (Wagemannus) imperitiæ arguat. Scio Monopistorum opinionem non unanimum, sed mutuo invicem dissidio in partes distractam esse.* — Lutherus & — rigidi Lutherani in Colloquio Altenburgensi, non solum meritum, sed etiam præsentiam bonorum operum à fide justificante exesse jusserunt. Et hujus sententiæ ait, fuisse Monopistam, quâ cum sibi fuerit controversia -- rigidam fuisse Lutheri discipulam. R. Transeant nugæ nugarum, de mutuo dissidio Monopistorum, hic in partes distractorum. Si Monopistos dæmone Pitzliputzli etiam in auxilium adscito expugnare volebat Cornæus, sententiam eorum illam aggredi debebat, quam in libris symbolicis de Iustificatione profitentur. Formula Concordiæ ipsi non est ignota. Conjiciat oculos in articulum ejus tertium, inveniet ibi non semel inculcatum, quod Wagemannus breviter recensuit. *Oportet præcedere veram & non simulatam contritionem*, ad removenda nimirum impedimenta gratiæ, quæ sunt, propositum pergendi in peccatis, & opinio de non-indigentia remissionis peccatorum. *Vera contritio præcedit, & fides justificans est in ijs, qui verè, non fide, pœnitentiam agunt. Charitas fructus est, qui veram fidem certissimè & necessariò sequitur. Bona opera NON præcedunt justificationem, sed eam demum sequuntur.* — Cum verò quæritur UNDE hoc fides habeat, & quid requiratur ut justificet & salvet, tum falsum erit si quis dicat, fidem non posse justificare sine operibus, vel fidem, quatenus caritatem, quâ formetur, conjunctam habet, justificare, vel, fide UT JUSTIFICET necessariam esse præsentiam bonorum operum, aut, AD JUSTIFICATIONEM necessariam eam esse &c. Hic videt Cornæus, quod Lutherus, quod Altenburgenses professi sunt, id Lutheranos tanquam communem doctrinam adhuc profiteri. Et si contritio requiratur ante fidem, tamen ad hoc, ut fi-  
des

des JUSTIFICATIONEM accipiat, eam non conferre. Et, cum bona opera non præcedant justificationem, sed sequantur, tanto minus illa fidei, ad munus ipsi proprium, quod est accipere remissionem peccatorum, necessaria esse poterunt. Habes hic non solius Lutheri, nec Aldenburgenſium tantum ut fingis, sed publicam Monopiſtorum doctrinam, in hanc cornua converte Cornæ, ſi quid tibi virium ſuperfluum eſt.

Dixerat Wagemannus, quando profiteamur *nos ſola fide à parte noſtrâ, (nam de eo nobis ſermo eſt,) juſtificari, excludere noſtra pietatis opera ſeu merita, quod hæc non ſint digna impetrare remiſſionem peccatorum.* Et hoc juxta mentem Formulæ Concordiæ articulo III. §. De juſtitia fidei &c. De juſtitia fidei coràm Deo unanimi conſenſu docemus — quod homo peccator coràm Deo juſtificetur, hoc eſt, abſolvatur ab omnibus ſuis peccatis — abſque ullis præcedentibus, præſentibus aut ſequentibus noſtris operibus ex mera gratiâ, tantummodo propter unicum meritum J.C. &c. Hic jam iterum Cornæus; ego ex te quaero, mereturne actus fidei juſtitiam? eſtne ille dignus impetrare remiſſionem peccatorum? Si dignus, peiores eſtis Papiſtis; ſi non, ergò illum debetis à negotio juſtificationis ſecludere. Probo. Ideò actus reliquos ſecluditis à juſtificatione, quia non merentur neque impetrant DIGNE remiſſionem peccatorum. Atqui etiam actus fidei non meretur juxta vos. Ergò. Nonne hic ſubſtititis cum fide ſolâ ut butyrum ad ſolem ſolet? Nec meretur actus fidei juſtificationem, neque impetrat dignè. Purè instrumentaliter ſe habet ad acceptionem gratuiti hujus & indebiti beneficii. Et quis credat, tam apertum conſequentiæ flagitium ab homine, qui Doctòr de ſocietate Lojolaë audiat committi poſſe: Fides non meretur, nec impetrat dignè remiſſionem peccatorum, Ergò ſecludenda eſt ab actu juſtificationis. Quidni etiam hunc in modum? Manus pauperis non meretur, nec impetrat DIGNE luculentum aliquod donarium, ergò ſecludenda

denda est ab accipiendo donario. *Nonne hic subsistis cum corneo tuo acumine, sicut butyrum ad solem subsistere solet?*

Post declaratam sententiam nostram, subjecerat Wagemannus verba Pauli Rom. 1v, 5. *Credenti, non operanti, imputatur fides pro justitiâ.* Et illa Cap. 111, 20. generalissimè patentia; *ex operibus legis non justificabitur ulla caro in conspectu Dei.* Mox vers. 28. *Colligimus igitur, fide justificari hominem, sine operibus legis.* Refutaverat futilem Cornæi exceptionem, quod *Apostolus hic tantum excluderet opera legis Mosaicæ (ceremonialis) vel naturalis.* Cornæus hinc largitur Paulum excludere opera ejus legis, ex qua est agnitio peccati, largitur, excludere opera moralia bona, quæ ex lege sive Mosaicâ, sive naturali non scriptâ, citrà fidem & gratiam Dei supernaturalem (antequam homo credat, & per spiritum S. renovetur) sunt peracta. Urserat autem porrò Wagemannus, Apostolum opera etiam illa à justificatione, quæ à credentibus, & per gratiam supernaturalem eliciantur, excludere. Idque probaverat exemplo Abrahami, de quo credente, & per Spiritum sanctum renovato, imò in medio pietatis cursu dudum constituto, nihilo minus pronunciet gentium Doctor Cap. 1v. ad Rom. 1, 2, 3. *ex operibus Abrahamum non habuisse gloriam apud Deum.* Et applicet illi Mosaica ista; *credidit Abraham Deo, ET ei imputatum est ad justitiam.* Ei itaque, qui operibus bonis, ex supernaturali gratiâ productis cumulatissimus erat, *tò credere imputatum est ad justitiam.* Unde Paulus postea statim infert vers. 5. *ei verò qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.* Cum quibus conferantur vers. 22, 23, 24. 25. Hic vero jam vehementer æstuat Cornæus, & *nasum suum nasutum* in omnes versat partes. *Si Apostolus Abrahamum in exemplum effati sui generalis afferret, ac diceret eum SOLA fide, SINE VLLIS OMNINO operibus, sive naturalibus, sive SUPERNATURALIBUS, cujuscunque de-*  
*mum*

*num legis, justitiam consecutum esse, TUNC equidem palam esset, Apostolum non excludere opera naturalia legis tantum. Cum verò non ita loquatur, sed de operibus INDEFINITE tantum, absque ullo generalitatis vel particularitatis signo, quomodo apertè falsum est, excludere tantum naturalia? Nonne aperta hæc est insania? Quantum intelligere licet, id vult Cornæus, Apostolum totidem aut similibus verbis, quibus ille ipsi, Sus Minervæ prævit, debuisse uti. TUNC demum apertum ipsi, cerebro aliàs hic nimis hebeti, foret, non tantum opera moralia naturalia (naturæ viribus facta) sed etiam opera supernaturalia, à justificatione Apostolum voluisse exclusa esse. Quæsumus te Cornæe! qui opera legis & Ceremonialis, & moralis à solius naturæ gratiâ minimè adiutæ viribus producta, juxtà tuam concessionem jam Cap. III, 28. excluderat, quando cap. IV. pergit, & hominis alicujus jamdudum justificati & insigni sanctitate conspicui operibus gloriam apud Deum adimit, ex opposito autem credere ei pro justitiâ imputatum fuisse, tum statim, credenti, non operanti, fidem pro justitiâ imputandam decernit, an non ille apertè fati, opera etiam supernaturalia à justificatione removerit? Si id clarum nondum est, oculos veritati clusos Cornæum gerere clarum est. Collyrium ei præbere poterit Chrysostomus Tom. IV. Oper. edit. Frob. Homil. IIX Col. 78 ubi de Abrahami justificatione agit. Fide salvari eum, qui opera non habeat, nihil fortasse fuerit inconveniens; eum verò, qui rectè factis conspicuum se fecerit, NON EX IPSIS, sed ex fide justum fieri, hoc scilicet admirabile est, & quod maximè potentiam fidei manifestat. Quid? quod ipse imprudens concedit, Paulum de operibus indefinitè loqui. At, qui indefinitè loquitur, indefinitè quoque rectissimè intelligitur, donec restringendi manifesta necessitas sese offerat. Paulus igitur omnia omnino hominum opera, juxtà legem moralem quamcunque, & quocunque è principio præsti-*

ta, à justificatione secludere intelligendus est. Sic Wagemannus *tyrunculus*, Cornæum gloriosum militem devicit.

Expedivimus præcipuas Cornæi objectiunculas. Postillâ magna se verboritate diffundit ad ea, quæ ex superfluo saltem Wagemannus, & obiter quasi, attulerat (1.) Quod ex ipsius Hosii Cardinalis confessione *Augustinus, Ambrosius Bernhardus & alii multi Dd. veteres* usi sint illâ Papicolis adeò exosâ locutione, quod *sola fides justificet* (2.) quod ex sententiâ Adriani, *merita nostra sint baculus arundineus — justitia nostra quasi pannus menstruatæ*, (3.) quod Waldensis *Deum non meritum nostrum sive congrui, sive condigni, sed gratiam suam in hoc articulo attendere scripserit* (4.) quod Hosius in Testamento suo, *in SOLO Christi merito spem & fiduciam omnem voluerit habere defixam*, (5.) quod Papistæ in vitâ doctrinam Lutheranorum *de solâ fide &c.* calumnientur, & tamen in morte ad eam confugere opus habeant, si animabus suis rectè consulere velint. Quo plus inanium verborum hic profudit Cornæus, eò nos brevius (nulla enim prolixitate opus est) eum dimittemus. Augustinus, Ambrosius, Bernhardus & alij Dd. veteres, quando docent solâ fide hominem, à parte sua coram Deo justificari, disputationem suam inædificant assertionibus Apostolicis capit. III, & IV. ad Romanos, quin ad eas nominatim subinde provocant. Quàm latè itaque patet exclusio operum apud Apostolum, tam latè quoque patebit apud illos Patres. Augustini verba sunt contra duas epistolas Pelagianorum libro 1. cap. 21. *Quantælibet fuisse virtutis antiquos (sanctos veteris Testamenti, præcedit ibi in objectione Pelagiani) prædices justos, NON eos salvos fecit NISI FIDES mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Vtique ergò sensu Lutherano, quod Cornæus hic in dubium vocat, à justificatione excludent opera omnia Patres, & soli fidei in Christum acceptionem remissionis

pec-

peccatorum assignare, intelligi volent. Hadrianum verbis suis eos arguere elationis animi, qui cum ad sacram Eucharistiam se comparant, propriis nituntur meritis, nostræ intentioni benè congruit. Quid hoc autem ad meritum justificationis? ait Cornæus, aut, quis inde conficiat, Hadrianum omne aëlibus nostris meritum abnuere, nisi Titius, aut Infelix Titij tyrunculus? Scilicet huic veterano an veteratori? in sacrâ Eucharistiâ non agitur negotium justificationis! Sed audiat paullisper. An non accedenti ad Eucharistiam, offertur in verbis institutionis remissio peccatorum, non quidem ut conferenda primùm, sed ut continuanda? Ergò offertur justificatio. Nihil enim aliud est justificatio juxta Apostoli doctrinam, quàm remissio peccatorum. Si ergò in ijs, qui ad sacram Eucharistiam, dignè utique sumendam, se comparant, seclufit merita nostra Hadrianus, à justificatione ea etiam seclufit. Nec novum est, occasione specialis casus, sententiam generaliter valentem proferri, quod hîc Adrianum fecisse, consentaneum est. Quod si verò Hadrianus in negotio justificationis omne meritum removit, omne utique aëlibus nostris meritum, de quo quidem inter nos jam quæstio est, abnuat. Waldensis non rejicit solum meritum à naturæ viribus profectum. Violenter hoc fingit Cornæus. Inspiciantur Waldensis ipsa verba, saltem apud D. Calixt. Digress. de arte novâ pag. 436. Hosium Cardinalem in SOLO Christi merito spem & fiduciam omnem desigentem, & suis ipsius meritis prorsus renunciantem, hoc ipso solâ fide voluisse justificari, etsi non sine convitiis hic negatum eat Cornæus, tamen verissimum est & manet. Id enim nobis est solâ fide justificari, totam justitiam nostram extrâ nos, & extrâ omnium hominum merita, opera, virtutes atque dignitatem quærere, eamque in solo Domino nostro Jesu Christo, per fidem in sanguine ejus, invenire. Papistas Lutheranorum de solâ in meritum Christi locatâ fide



justificante doctrinæ, quam, dum in vivis sunt, convitiis impere solent, immori tamen necessum habere, si rectè sibi consulere velint; Cornæus inter medias tricas quas necit, & petulantia multa convitia quæ spargit, imprudens ipse confirmat. Quando, inquit, Papistæ ad supremam vitæ mortalis metam consistunt, ubi scilicet Jesuitica cavillandi libido refrixit, ex alterutro æternitatis aditu illum PRUDENTER eligunt, quem sibi ac salutis suæ SECURIOREM existimant. Cum de sese, ac gratiâ, MERITISQUE SVIS NIHIL CERTI statuere aut præsumere possint, sed meritò vereri necessum habeant, NE ORCVM POTIVS, quàm cælum suis factis sint promeriti, eâ causâ ad UNAM Dei clementiam, in foribus misericordiæ se offerentem, animum advertunt suum, & per meritum J. C. veniam culparum orant. Si ista ad alterutrum æternitatis aditum via, quam nos unicè calcandam contendimus, prudenter eligitur, si securior existimatur, caveant sibi alastores illi, ne misericordiâ & clementiâ Dei indignos se reddant, qui Monopistos, per solum Christi meritum veniam culparum sibi promittentes, convitiis hoc nomine exagitant, & Sardonio risu eorum sententiam prosequuntur. Cornæus profectò minimè omnium causam habet, inter illos quos fingit sanctulos se numerandi, qui MERITIS OPULENTATI, JURE JUSTITIÆ sint mercedem beatitudinis ab æquissimo judice Deo recepturi, Pontificio fortassis privilegio aliquo exempti à sententiâ Davidicâ; ne intres in judicium cum servo tuo, quia NON JUSTIFICABITUR inconspèctu tuo OMNIS vivens Psal. cXLIII, 2. Nisi peculiariter Cornæum ingentibus ideò meritis opulentatum dicas, quòd virulentissimis scurrilitatibus, Cerbereis convitiis, & furiosissimis sarcasmis, in omnibus suis contrà Lutheranos volitantibus chartis, eximium prorsùs illius socium, qui convitiis etiam affectus, non convitabatur, præ aliis suis contribulibus se ostendit. Pro qualibus  
 meri-

*meritis, mercedem nec de congruo, nec de condigno, à supremo illo iudice, in cuius conspectu adeò barbarè ferocire non desinit, ipsi imprecamur.*

FUNDAMENTUM QUARTUM.

*Æquè gratis, & per gratiam justificaret Deus, quantumvis cum fide unà & spem, & charitatem ab hominibus exigeret. Et, si gratis fit, quod cum fide fit, cur non gratis fiat, quod cum caritate fieret? Si gratia non excludit fidem, cur excludunt (Lutherani) charitatem (à justificatione) ejusq; opera?*

*Quod Spiritus sanctus per Apostolum dicit, nos gratis & per gratiam justificari, hoc Jesuita verum esse ait, etsi per opera supernaturalia unà fiat. - Si gratis fit, urget, quod cum fide fit, cur non gratis fieret, quod cum caritate fieret? Hic ad rem. Si gratia & gratis non excludit fidem, cur excludat charitatem? Ad rem, ad rem dico. Doceat hinc sus Minervam, Titius Jesuitam. Imò verò adfuit jam Wagemannus, & docuit hinc stupidum Suitam. Quorsum dissimulat illud rustica Minerva? Spiritus sanctus, dixit Wagemannus, per fidem, & ex gratiâ justificari, opponit simpliciter tunc ex operibus justificari. Et adscripsit textus Ephes. II, 8, 9. Gratiâ estis salvati, per fidem, — non ex operibus &c. Rom. IV, 16. Ideò ex fide, ut sit per gratiam. Cap. XI, 6. Si per gratiam, jam non per opera. Monstret Cornæus scripturæ textus, qui in negotio justificationis gratiam fidei opponant, aut opera cum gratiâ ita combinent, ideò ex operibus, ut sit per gratiam. Annon caussæ satis est ut statuamus, gratiam Dei, in justificatione accipiendâ excludere à parte nostrâ omnia opera, fidem autem non excludere, QUIA Spiritus sanctus tam claris assertioni-*

tion-

tionibus id nos edocuit ? An non tenemur tam manifestis Oraculis acquiescere, etiamsi non conspicua esset ratio, ob quam opera gratiam excludere, fides non excludere censenda foret ? Sanè ne verbulum quidem habuit Empæcta Cornæus, quod textibus ad Ephes. 11, 8, 9. Rom. cap. iv, 16. cap. xi, 6. à Wagemanno obductis, responderet. Quòd autem argutatur, *si gratia & gratis non excludat fidem, cur excludat charitatem ?* causam hujus rei non difficulter perspicere licet. Opera nimirum, fidei in Christum opposita, propriâ bonitate petunt censerì, fides extraneo pretio ac merito, à Deo nobis ordinato, tota innititur; Opera semetipsa quasi præsentant & offerunt Deo, fides tantum alienam justitiam accipit à Deo. Opera igitur gratiam in actu justificationis excludunt, (*si ex operibus, non ex gratia*) fides minimè excludit, sed ei subordinatur. Sed hinc instat porrò Cornæus, *contritionem, & dilectionem Dei super omnia, à peccatore elicitam — purè æstimari ex objecto, quod est Dei bonitas, quam apprehendit — ergò esse parissimam paritatem, nec micam diversitatis attulisse Titium &c.* Negamus Cornæe, & nihil minus hinc est, quàm parissima tua paritas. Et primò, quid hoc est dicere, *actus contritionis objectum, esse bonitatem Dei ?* Quis hoc intelligat ? objectum contritionis sunt peccata, super peccatis homo conteritur; motivum autem contritionis, bonitatem Dei ut cognitam præbere, Scholasticos docere memini. Ergò exemplum hoc per obscuritatem suam Cornæo hinc non inservit. *Actus porrò dilectionis Dei super omnia, à peccatore, dum peccator adhuc, & extrâ statum gratiæ est, elicitus, Pelagii excrementum est, à Cornæo imprudenter exceptum.* Omnis autem actus dilectionis Dei, ab homine justificato profectus, suapte propriâ etiam bonitate æstimari petit, & si fortassis ab objecto dignitatis quidpiam nanciscatur, tamen longe alia est illa dignitas ab eâ, quæ in fidem, à me-  
rito

rito Christi quod amplectitur, dimanat. Meritum Christi enim activum & passivum, est inestimabile ipsum pretium redemptionis, est illa ipsa infiniti valoris justitia, quæ à Deo eò destinata est, ut per fidem hominibus esset imputabilis, & plenariam à lege requisitam innocentiam, qualis coràm judicio Dei requiritur, credentibus afferret. Bonitas autem Dei, circa quam actus dilectionis versatur, nihil huic est simile. Ergò exulat hic *parissima* Cornæi *paritas*. Ergò frustra sibi plausum fecit socius. Per autem illi ipsi fuisset opus, *narem* probè *emungere* (quod Titio hic suadet) quandò sequentia non dubitavit allinere: *Si fides, in quâ juxtâ explicatum à Titio (Wagemanno) datum, sit expressa mentio meriti, nimirum Christi, non impedit quominus justificatio ex eâ profecta, sit ex gratiâ & gratis, cur impediat contritio & dilectio? in cuius obiecto nullum prorsus meritum, neque adeò Christi quidem, distinctè relucet?* Non dixit quidem Wagemannus, *in fide fieri expressam mentionem meriti Christi*, patiamur tamen id abire. Quod justificatio per fidem, gratuita est, hoc meritum Christi in quod fides fertur, ideò non impedit, quia alienum est meritum, à parte Dei, & ab ipso Deo gratis nobis datum, & ad hoc, ut ad solutionem nostram à dirisimis pœnis, & admissionem ad æterna gaudia imputabile esset, destinatum. Hoc ipsum autem, quia in obiecto *dilectionis* à Cornæo memoratæ non comparet, *dilectio* ab extraneo merito estimationem talem in judicio Dei nancisci non potest, sed proprio valore censerì expetit. At quod tale est, hoc gratiæ hic opponitur, & *gloriationis* illius pabulum est, quam in universum omnem hic Deus vult exclusam Rom. II, 27.

Hic Wagemannus præstruxerat solenni Jesuitarum objectioni, ex Jacob. cap. II, 21, 24. *Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est? &c. — Videtis igitur, quòd ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum.* Produxerat Thomam,

D

qui

qui Commentario ad illum locum *opera* justificare dicit, in quantum *OSTENDANT* justitiam. Res enim, addit Thomas, dicitur fieri, quando *INNOTESCIT*. Cornæus respondet, magnum sibi hic leporem cepisse visum lepidum Titium. Sanè Cornæum ipsum Thomistico hoc reti cepit VVagemannus, magnum leporem an ceperit, alii judicent. *Esso* pergit lepidus socius, Aquinas ita interpretetur, ut *MEAM* causam non juvet, ideonè ego perij & Titius vicit? Omninò, quod hunc quidem locum attinet, vicit VVagemannus. Si enim istam Thomæ magni interpretationem, Cornæus & complices repudiare non audebunt, deinceps non nisi irritò conatu locum Jacobæum contrà nos urgere poterunt. Quid alibi Thomas *de fide non solà* sentiat, VVagemannus perinde habuit, & hircum mulget Cornæus, quando prolixum è 22. qu. 113. a. 3, 4, 5. locum adscribit. Exspectet, donec VVagemannus ad Thomæ doctrinam porrò provocet, tum demum integra Thomæ folia contrà eum describat. Hactenus non magis Thomæ dextrâ, quàm plumeo, vitreo Cornæi mucrone VVagemannus cecidit.

#### FUNDAMENTUM QUINTUM.

*Non ex mente Apostoli, gratia & gratuita justificatio excludit opera univèrsa, quia Rom. iix, 20. dicit Apostolus, spe salvi facti sumus. Et i Cor. XIII, 3. Si charitatem non habeam, nihil mihi prodest.*

Dixerat VVagemannus, hic meram ignorantiam textus regnare. Non dicere Paulum, EX spe per spem (quomodo de fide loqui solet) nos salvari, sed tantum, SPE. Cornæus ad hæc: Bene est, quid infert? Ergò est ignorantia textus, si quis Iesuita dicat, S. Paulum actum spei requirere ad justificationem? O subtilitas, ô stupor! Responderetur, VVagemannum rectè hic objicere ignoran-

rantiam textus. Illum enim si Suidicus stupor vel leviter saltem introspexisset, deprehendisset ita loqui Apostolum vers. 23, 24. *nos ipsi apud nos ipsos suspiramus, adoptionem filiorum Dei EXSPECTANTES, redemptionem corporis nostri. SPE enim (expectatione redemptionis corporis nostri) salvi facti sumus.* Theodoretus Commentario ad illa Apostoli verba; *resurrectionem enim nondum assecuti sumus, sed suscepto promisso spes nos consolatur.* Videbit jam, nisi amens sit, ridendam textus ignorantiam suam. Monitionem illam, quod Paulus non dicat, *ex spe, per spem, sed tantum, SPE &c.* non assumpserat Wagemannus pro medio, quo probaret, Cornæum ignorasse sensum textus. Id ita ille jam fingit, ne desit quod exagitet. Indicare saltem Wagem. voluit, de eo quod instrumentum accipiendæ justificationis unicum nos statuimus, aliter quàm hîc facit, Apostolum loqui solere. De altero loco, 1 Cor. XIII, 3. nihil hîc movit Cornæus. Silentio objectam textus ignorantiam comprobavit.

#### FUNDAMENTUM SEXTUM.

*Gratia Dei excludit solummodo opera vel de condigno meritoria, vel quæ ante fidem suscepta, ab unis nature solius, & à gratiâ minimè adjute & elevata viribus, ortum habent. Supernaturales verò actus, à fide & gratiâ proficiscentes, & de congruo tantum meritorii, nulla ratione à justificatione excluduntur.*

Vetera hæc scholarum retrimenta, Cornæus hîc, interprete familiari suo, Pitzliputzlio, vocat *solidam doctrinam, in Scripturis & sanctis Patribus fundatam.* Wagemannus appella-

verat *indoctas nugas*. Et meritò sanè. Paulus enim Cap. III. ad Romanos, etiam Judæos ex operibus non potuisse justificari, disputat. Judæis autem persuasum minimè erat, se *operibus, naturæ solius & grātiâ minimè adjuncta viribus* elicitis, justificari posse. Apud Hebræos constans erat fides, purgationem peccatorum à solo Deo fieri, ait Bellarminus libro III. de Justificat. cap. IV. Col. 952, & hoc respondet Catharino, qui verba Proverb. XX. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* dixerat iis saltem esse opposita, qui suis viribus existimabant se posse justificari. Alia itaque Judæorum opera, quàm quæ *viribus solius naturæ* fierent, Apostolus à justificatione removet, ipsa nimirum etiam supernaturalia, aut, viribus gratiæ supernaturalis producta ac patrata. Wagemannus hic iterum validè objecerat exemplum Abrahami e Cap. IV. ad Romanos. Qui, quamvis justificatus dudum, & Spiritu Dei renovatus, plurimis operibus *supernaturalibus* ut Jesuita vocat, coruscasset, tamen *non ex operibus habuisse gloriam apud Deum* pronunciat, sed *credidisse*, & hoc credere ad justitiam imputatum fuisse, perhibetur. Et additur in fine illius capit. IV, hoc ipsum, quod Abrahamæ fides sit imputata ad justitiam, *non scriptum esse propter eum solum, sed etiam propter nos &c.* Quin jam ante, vers. 5. post prolatum Abrahamæ exemplum, generalem hanc assertionem protulerat Apostolus, *ei qui non operatur* (nullum opus meritorium affert, nec ullius mercedem postulat) *sed credit in eum*, qui justificat impium (intellige, *per fidem in sanguine Christi* Cap. III, 24, 25.) *imputari fidem ad justitiam*. Idque ibidem confirmaverat suffragio Davidico, tribuente *beatitudinem homini, cui Deus imputet justitiam* SINE OPERIBVS. Quid ad hunc solem noctua Cornæus? Desertus ab omni responsione ille magnus *Apollo, suisibus & graculus*, & streperis permixta *cicada* cicadis, convitia ejaculatur, & ad pueriles ac cassas negationes dilabitur. *Nego*, inquit, *placuisse*

placuisse Abrahamum Deo, nego justificatum absque illis (actibus bonis supernaturalibus) fuisse, nego Titium (Wagemannum) id probasse. Ecquid reliquum est, quàm ut porro neget, se respondere potuisse? Lectori tædio ne sit, recurrere ad ea, quæ ad Fundamentum I I I. circa exemplum Abrahami Cornæo sunt reposita. Videbit quàm bellè etiam ibi steterit *adipals* Lojolæ de grege porcus.

Ad illud porro, quod dixerat Cornæus, *gratiam Dei excludere solummodo opera meritoria de condigno*, reposuerat Wagemannus, Paulum omnia opera simpliciter excludere -- & ne quidem opus fuisse excludere, ne dum solummodo excludere opera meritoria de condigno, si de primâ justificatione quam Papistæ ponunt, loquamur. Ante eam enim, hominem esse extrâ statum gratiæ, malam arborem, quæ, per rei naturam, non possit bonos, ne dum meritorios de condigno fructus ferre. Secundam autem Papistarum justificationem, non esse justificationem, sed incrementum saltem sanctificationis, quam Papistæ pessimè cum justificatione confundant. Cornæus graculus, negat, negat (nihil enim aliud potest) Paulum omnia opera excludere. Neget verò & perneget, quamdiu volet. Apostolus indefinitè, concedente etiam supra ad Fundam. I I I. Cornæo, loquitur. *Si ex gratiâ, jam non ex operibus. Ex operibus legis, nulla caro justificabitur. Non operanti, sed credenti Sc. fide justificatur homo, non operibus.* In eâ latitudine nos perstamus, Cornæo in angustiis relicto. Nec est ut objiciat Cornæus: *Fidem vel fiduciam, vel Titio autore Apostolus non excludit.* Omnino enim fides, spectata ut opus, & opponitur gratiæ, & excluditur in accipiendâ justificatione per oppositam operibus gratiam seu gratuitam misericordiam. Helleboro verò multo potandus ante fuisset ipse insulsus socius noster, quàm sequentia isthæc effutiisset; *merita de condigno, cum reapse à primâ justificatione exclusissima essent -- Apostolum vel maximè*



excludere DEBUISSSE. Jure merito hic in ipsum retorquemus Lojolicum scomma; ad Anticyras cum viro isto, ne misero cerebrum pereat! DEBUISSSE superflua agere Apostolus, & quod de sese, largiente Cornæo, *exclusissimum* jam erat, quod ne quidem per rei naturam locum ante primam justificationem habere poterat, hoccine inquam VEL MAXIME DEBUISSSE *excludere*? O subtilitas pistillo retusior, o stupor plus quam cornuus! Triumphat ergo hic Wagemannus de Cornæo, quando dixit, Paulum opera à justificatione primâ excludentem, non opus habuisse præcedentia *merita de condigno*, nedum illa *solummodo excludere*. Instet fortassis Cornæus, *merita tamen de congruo*, à primâ justificatione nondum exclusisse Apostolum. Respondemus, si quæ merita ante justificationem in homine esse possint, ea per latitudinem dictorum Apostolicorum omninò esse exclusâ. Qualia verò sint in homine, extrâ statum gratiæ constituto merita? Hoc totum quod fit in actu justificationis, non fit per ULLÂ nostrâ merita PRÆCEDENTIA. Quid enim mereatur impius, (nondum justificatus) nisi penam? ait Bellarminus Commentar. in Psal. vi, vers. 4. Et quid fabulatur Cornæus de suo illo congrui merito? Meritum de congruo propriè non habet rationem meriti, sed tantum cujusdam congruentiæ, ac proinde non necesse est de eo disputari. NIHIL ENIM CERTI DE EO affirmare possumus. Sicut enim videri potest nobis congruum & conveniens, ut Deus hoc vel illud præstet huic vel illi homini, ita è contrario non desunt Deo rationes congruentiæ, cur id nolit præstare, quod alioqui apparet congruum ut præstet; sunt verba Becani, Opusc. Tomo. i. opusc. vii. de bonorum operum merito in fine. Huc huc nasum advertat Cornæi *diminutum illud*, & à domesticis magistris *infelix tyrunculus* discat. Quod de secundâ justificatione Papistis objecerat Wagemannus, eam non esse justificationem, item, Papistas justificationem malè cum sancti-

Elificatione confundere, sicuti mali coci solent multa jura confundere; hoc utrumque silentio iterum devoravit nasutissimus Cornæus. Et sanè, differunt justificatio & sanctificatio, formâ, subjecto, objecto, causâ efficiente proximâ, effectis. Quod omne perpulchrè ostendit Christophorus Pelargus, Novi Jesuitismi Loco Nono pag. 50, & 51.

FUNDAMENTUM SEPTIMUM.

*Fides quidem salutaris est, sed non omnis, sed ea solummodò, qua per charitatem operatur --- atqui tua (Lutherane) fides, omni bonorum operum comitatu est destituta, --- tu bona opera neglexisti.*

Wagemannus ex Augustanâ Confessione, ejus Apologiâ & Articulis Smalcaldicis, atque adeò publicis Lutheranorum Confessionibus, ex ipso etiam hostili Bellarmini suffragio monstraverat, malitiosè calumniatum esse Cornæum, quando Monopistis affinixerit impiam & crudam ejusmodi doctrinam, quod fides justificans, omni bonorum operum comitatu sit destituta, quod bona opera liceat negligere. Hæret hic Cornæus constrictus, tanquam mus in pice, & quò magis extrahere limo pedem conatur, eò infigit magis. *Quid mihi, inquit, cum Lutheranis omninò omnibus — quos novi Cadmæos esse fratres, mutuâ invicem dissidiis flagrantes. Ego in Monopista EOS aggressus sum, qui uni fidei ita justificationem adscribunt, ut spem, charitatem, & cætera opera omnia, prorsus ab eâ re eliminent. Et ejusmodi EGO homines non semel audivi. — Quod si ab ijs quidem dissentit Titius, ideò ego vel stolidus, vel calumni-*

*Calumniator* ? Imò manes deprehensus & convictus calumniator, nisi fortè à turpi, sententiæ Lutheranorum ignorantia, excusationem petere malis. ILLI enim aliqui, quos *solus te aggressum* nunc fingis, mendaciorum *figule*, quando *spem, charitatem, & cætera opera omnia* à justificatione *eliminant*, id ipsum docent, quod omnes universim Lutherani docent. Omnes Lutherani uno ore dicunt, nec *spem*, nec *charitatem* nec *cætera opera* ad justificationem quicquam conferre, & nihilominus fidem justificantem indivulso nexu omnia comitari, nec posse in ullo fidem justificantem consistere, sine virtutum Christianarum omnium pedissequo choro. Aliud autem longè est, ò sociorum stupidissime, opera à *justificatione eliminare*, aliud ab ipsâ fide, ne eam comitentur vel sequantur, proscribere. Prius faciunt prælucente scripturâ Lutherani universim omnes. Posterius socii Esau, per impudentem malitiam illis affingunt. Adsit itaque hic iterum Wagemannus, & argumentum suum *verè triumphale* tibi denuò intorqueat.

Qui videri vult Lutheranorum libros legisse, & tamen iis non erubescit tribuere, quod doceant fidem *omni bonorum operum comitatu destitutam*, aut, doceant *neglectum bonorum operum* ille dignus est ut habeatur nefarius calumniator:

Cornæus videri vult Lutheranorum libros legisse (cur enim eorum dogmata aliàs sibi exagitanda sumeret?) & tamen &c. Ergo dignus est ut capiat illum quem jam diximus titulum. Juxtâ phraseologiam Erbermannico-Suiticam, *prodigiôsæ stultitiæ & sycophantiæ stigmatè* notari mereretur.

Sed pergat Wagemannus, & verbis iisdem quibus suæ, nostræ etiam huic Disputationi finem imponat.

Quod

Quod sub finem Colloquii sui contra nos citat multa dicta (Cornæus) *Omnis qui natus est ex Deo abstinet à peccatis, Omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est, Omnes operarij iniquitatis repellentur à Deo, &c.* planè STULTUM EST. Nam nos hæc omnia admittimus. (Hanc quoque pilulam tacitus deglutivit Cornæus.) Quin subsumimus : Cornæus est calumniator & petulanter mentitur de nobis, atque *ita facit peccatum, est scurra & operarius iniquitatis. E. repelletur à Deo, & audiet à suo Pitzliputzli; veni, veni, æternis mecum semper cruciande sub umbris, nisi fortè resipiscat, quod (etsi sperare vix licet) ipsi tamen ex animo optamus.*

COROLLARIA.


- I. *Gratia quâ justificamur est tantum favor Dei, non in hærens qualitas, & justificatio fit sola imputatione justitiæ Christi, & peccatorum remissione, non per diffusionem gratiæ in chorda. Contra Concil. Trid. Sess. VI. Can. XI. Ubi incommode etiam allegatur locus Rom. V, 5.*
- II. *Rectè dicitur, homines justitia Christi ipsis imputatâ formaliter esse justos. Contra Concil. Ibid. Can. X.*
- III. *Implere totam legem, est impossibile; ait ipse Thomas Commentar. in Galat. III, 10. Et allegat locum Actor. XV, 10. Quid tentatis? &c. quem Iesuitæ hodiè ad legis Ceremonialis observatiõnem detorquent.*
- IV. *Rectè dixit Lutherus, solam incredulitatem damnare. Intellige, ultimatiè.*
- V. *Falsum est, justificatum verè mereri vitam æternam. Contra Concil. Trid. Sess. cit. Can. XII.*



MELCHIORIS CORNÆI  
Societ. Jesu SS. Theolog. Doct.  
ARISTOTELIS REDIVIVI  
PARTIS III.  
APPENDIX  
DESTRUCTIO  
TITIO-HAMAXANDRICA  
Ex adunco  
PITZLIPUTZLI

Naso suspensa.

CHARON, PITZLIPUTLIUS, MONOPOLISTA.

HARON. Unde unde cum adunco naso tuo, tam præpes ruis? quid affers? PITZLIPUTZLIUS. Pinguem Diti nostro prædam affero, adipalem Lutheri de grege procum. *Char.* Qui vocatur? *Pitzl.* Monopistus ei nomen est. Quid nunc rides senecio? *Char.* Vix semel in anno ad tristia stygos fluentia ridere suevi. Nunc tamen vel reluctanti mihi cachinnus prorumpit. *Pitzl.* Eccur demum? *Char.* Enim verò perlepida tibi fuit cum ista, quam cymbæ nunc meæ sistis, animula, collocutio, & festiva profus rixa. Quis non rideat bellam confabulationem istam? *Pitzl.* Eho mi vetuste Orci navita, quis eam rem tam properè ad tuas anres detulit? *Char.* Mercuriolus meus, ut est rerum novarum aucupator egregius, cum insigni Manium, quam è mari Balthico adduxit turba, ante te prævolans, cum risu mihi enarravit. Quin adeo schediasma mihi dono dedit typo exaratum, quo tuum illud cum Monopistto certamen acerbè perstringitur, & fundamenta, quibus tu in arguendo sis usus, perstruuntur. Eccillud. Lege sis. *Pitzl.* Hem! Illud Titi diminutum meam concertationem vocat scurrilem, stolidam que? O stuporem hominis! *Char.* St. St. Cum Doctore & Professore tibi res est. *Pitzl.* Sed quali demum? Cui stoliditatem, quam alii impingit, & reapse ipse patravit, reponere non liceat? Viden? nasutum hunc nasum meum? Ex eo hodie pendeat oportet improvidum caput. Septena funda-

fundamenta commentus evertere? Totidem pendebit funibus. Age Charon prælege singula. Tu verò Menopista tantisper liste. *Monopista.* Pareo, quando ita jubes.

## CAPUT I.

*Diaboli plus multò credunt, quàm Monopisti Acatholicì.*

**C**Haron. Arrige ergo aurem, Pitzliputzli, ad primum tui colloquii fundamentum. *Pitzl.* Audio. Recita modò. *Char.* *Diaboli credunt toti Evangelio, tu Monopiste Lutherane, non nisi mutilato truncatoq; per Lutherum.* *Pitzl.* Ita res habet. Qui toti credit, plus credit, quàm qui parti tantum credit. Numquid? *Char.* Sed audi quid Titius. *An ergo diaboli predicant Evangelium de Redemptore Christo, pro ipsis quoque dato?* *Pitzl.* Pro ipsis quoque? quibus ipsis ais? diabolis? non? hominibus? ita. Sed quid jam inde Titius? Ergo plus de Evangelio credunt Monopisti quàm dæmones? O Titiole *nā tas spēras?* quid facis? non vides incogitantiam demum tuam? Tu contendis probare, Monopistos plus credere quàm dæmones, ex eo quod hi non credant Evangelium sibi utibile, sit ita. O puerilem inprovidentiam tuam! Monopisti credunt Evangelium ad homines attinere. Benè est. Annon & dæmones id tenent? Monopisti credunt illud salutis nuncium nil spectare ad dæmones. Sit ita. An non idem dæmones norunt ac credunt? Ergo utrique idem credunt. Ergo non hi minus credunt quàm isti, Ergo tu ovum tondes istuc adducendo. *Char.* *At dæmones non credunt eum fiducia, atque amore Dei.* *Pitzl.* Quis id nesciat? Ita probet quis, homines meliùs & utibiliùs credere, non plus credere. Fiduciam habere & amare, non est credere. De actu credendi non de sperandi invicem hic contendimus. Det aliquid Titius in Evangelio quod ipse credat, & ego non credam. Certè non potest, vel pappum dare unum. Ego verò de Evangelio latiùs capto, id est de totis Bibliis, multa credo, quæ Lutherus ex iis deartuavit detruncavitque. Nomino ex novo Testamento, ut jam vetus taceam, Epistolam Pauli ad Hebræos, quam ille in prol. ejusd. negat esse ullius Apostoli. Nomino epistolam Jacobi & Judæ, quas penitus contemnit. Nomino Apocalypsin Joannis, quam in præfat. Novi Testam. ait se neque pro Prophetico neque pro Apostolico recipere. Satin' hoc habes, ut Lutherus Novum Testamentum mutilasse probetur? Hæc ego cum toto veteri Christianorum ævo firmiter credo. Ergo plus quàm Monopistus credat, credo. Quid? an non septem plus sunt quàm duo? Ergo verò septem Sacramenta credo, Mono-

pistus duo credit. Ergo plus credo. *Char.* Reponit Titius, hæc & similia, quæ tu credis, ab Evangelio & vero Dei verbo ignorari, ideoque minime sibi credenda, quicquid cum Diabolis Papistæ credant. *Pitzl.* Septem Sacramenta, Purgatorium, Papæ primatum & reliqua ejusmodi, quæ nos credimus, sat superque loquitur verum Dei verbum, tum scriptum tum traditum. Id Titius non videt, quia oculos veritati clusos gerit. Quid tu adhæc Monopista? *Monop.* In vita mortali cum forem, ad instar talpæ, unâ cum Titio oculos clusos gessi. Mors lumina aperuit, sed serò cheu! Nunc hæc omnia teneo, sed serò nimis ac frustra. *Char.* De verbo Dei tradito frustra te loqui, ait Titius. *Pitzl.* Quid ita? *Char.* Nihil nisi scriptum, quod credere oporteat, admittit Basilius. Verba ejus sunt serm. ascet. de fide: *Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbia vitium, vel respicere aliquid eorum quæ scripta sunt, & inducere quod in Evangelio scriptum non est.* *Pitzl.* Miror Titium hæc nunc producere, quæ longo ante tempore à Bellarm. l. 4. de V. D. c. 11. sunt expedita. Quid? an non Basilius ibidem laudat fidem Abrahami? Certè hic Evangelium & scriptum Dei verbum nullum habuit. An sibi Basilius adversus, qui alibi traditiones non scriptas, etiam de rebus fidei & ad salutem necessariis admittit? De Spiritu S. c. 27. sic ait: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit.* Excipe Titium & Monopistos) quisquis sanè vel reuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. An non symbolum fidei nostræ est de fide tenendum? Atqui hoc eodem teste Basilio non est in Evangelio scriptum. Omitto cætera, inquit, ipsam fidei professionem, quæ credimus in patrem, & filium & spiritum sanctum; ex quibus habemus scriptis? Ibid. cap. 29. subdit: *Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inherere.* Et ipsum pro se laudat Apostolum; ejusque verba 2. Thess. 2. *Laudo vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam.* Hæc apud se expendat Titius, & notit loco à se adducto Basilius ab objecto & argumento fidei non excludere verbum Dei traditum, neque traditiones Apostolicas, sed privatas à privatis hominibus exco-

gitatas tantum.

CAPUT

## CAPUT II.

*Alterum fundamentum imaginarium excutitur.*

**C**Haron. Alterum fundamentum audi. *Pitzl.* Sed vide ut genuinum afferas. *Char.* Audi quod Titius producit. *Lutheranus* qui talem fecit *Sylogismum* facit. (Quicumque justus est & justificatus, huic cœlum & beatitudo debetur. Atqui ego sum justus & justificatus Ergo. credit, non tam testimonio divino, quam sua ipsius & Prædicantium persuasione. Audin? sublimitatem? *Pitzl.* Futilitatem debebas dicere. Huc ades *Monopista* & rei veritatem attestare. *Mon.* Faxo. *Pitzl.* Loquere ergo. Est ne hoc quod nunc Charon prælegit, assertum, aut fuit unquam meum? *Monop.* Non. Errat Titius. Stupore an calumniâ agatur, nescio. Certè falsum dicit. Ego sic contendebam. Quicumque justus est & justificatus, huic cœlum & beatitudo debetur. Hanc tu Majorem concessisti. Subjunxi Minorem. Atqui ego sum justa & justificata. Ergo. Abnuisti Minorem. *Pitzl.* Perge. *Mon.* Ego Minorem probare institui hoc modo: Quisquis fide divina præditus credit (nempe quæ credere oportet) is est justus & justificatus. Atqui ego fide divina credidi, &c. Ergo. Hic tu totum negasti. Majorem, Minorem, Conclusionem, omnia. At tamen Minorem (licet falsam diceres, ac statueres me non credidisse, ea quæ oporteret, fide divina, sed persuasione humana ab Prædicantibus hausta) gratis donasti, & in Majorem extirpandam totus incubuisti. Hæc res est. Quod verò Titius comminiscitur, procul abest à vero. Aut fallitur ille aut fallit. *Pitzl.* At tamen excutiamus ejus conatum frivolum. Lege sodes, Charon. *Char.* Respondeo, si de *Majore* intelligatur, quod *Monopistæ* illam credat non tam testimonio divino, quam sua ipsius & Prædicantium persuasionem per motus, eum impie contradicere *Apostolo Paulo*, imò *Spiritui sancto*. *Pitzl.* Quæso delirasne Titi? Libet absentem colloqui. Quomodo ego contradico *S. Apostolo*, & impie quidem, si asseram te credere, omnem justificatum cœlo ac beatitudine potiturum, non testimonio divino, sed tua ipsius aut hominum aliorum suasu? Responde sodes. *Rom. 4, 7. 8. habes, Beatorum quorum remissa sunt peccata, &c. Habeo, quid tum postea? Ecce hic habes testimonium divinum, iustificatum esse beatissimum. Habeam, & tu juxta mecum habeas. Quid quæso deinde? Non nego neque unquam negavi, extare testimonium divinum, cui illius Majoris assensus aliquis in niti possit, sed negavi *Monopistam* eo testimonio in assentiendo nixam esse. Atqui hæc valde sunt diversa. A-*



trabo, an non mortalium aliquis potest sibi persuadere, Deum esse, ideo quia ex philosophia naturali perspectum habet, esse primum Ens & primam causam, & non ideo, quia Spiritus sanctus in scripturis testatur Deum esse? quippe ni? Etsi tunc ego assererem, eum tenere, quod Deus sit, non testimonio divino inductum, sed ratione naturali propria persuasum, an tunc inquam ego testimonio Spiritus S. impie contradicerem? Certè Titi parum lapis, si tu hæc vel ipse scripsisti, vel ab Hamaxandro tuo ita temere conscripta probasti. *Char.* Pergo ad cætera. *Pitzl.* Rem gratam facis. Perge modo *Char.* Si de Minore loquitur, & vult eam temere & non fide divina credi, primò ineptè loquitur. *Pitzl.* Hæc erat Minor, uti Titius eam ædificavit: Atqui ego sum iustus & iustificatus: Quæro ex Titio, cur ineptè loquar, si dicam eam temere à Monopisto credi? *Char.* Loquitur ineptè, quod fidei in Christum in conscientia credentis sensum, persuasionem appellat. *Pitzl.* At ego nego in conscientia Monopisti ita syllogizantis esse sensum credentis. Tu ineptus es qui sensum credentis appellas, quem ego nego esse sensum fidei. Prius proba, illum esse sensum credentis, & non sensum temerè opinantis. Donicum id præstes, ineptiæ cavillum tibi in sinum tuum remitto. *Charon.* Dein nosse debet, quia quando Maior in proposito syllogismo est scripturæ, etsi Minor humana experientia certa sit, conclusionem tamen ceu revelatam, & tanquam fidei divina sit, credendam venire. *Pitzl.* Quid jam Titi? Me vis docere? Nimio quàm sero venis in hanc rem. Sed quid vis demum? Do tibi liberaliter, eam conclusionem quæ ex Majore revelata, & Minori certa, licet non revelata, prolicitur, fide divina credi posse. Do tibi, quamvis cum multis aliis Theologis abnuere possum. Sed do ultro, quia allubet esse liberali. *Char.* Pergo. Applicet autem quod dixi, ad Minorem Syllogismi Lutheranorum à se producti, nec porro nugetur. *Pitzl.* Atqui non possum applicare, nisi nugari, ad tuum morem, imò nisi insanire velim. Audi Monopista. Nunquid hic tuus erat syllogismus: Omnis qui fide divina credit est iustus. Atqui ego fide divina credo. Ergo? *Monop.* Ipsissimus planè. *Pitzl.* Jam hæc Major non est scripturæ. Et nunquid eam tibi Monopista negavi? *Monop.* Nimis verum est, quod negaveris. *Pitzl.* Minor non est certa per experientiam. Ajo esse falsam in Monopistis persuasionem. Ain' tu Monopista: an non modò fateris te in vita mortali cum esses, vero fidei actu semper caruisse? *Monop.* Fateor. Et Titius, ubi huc venerit, aliquando idem fatebitur. *Pitzl.* Non est ergo Syllogismus Monopisticus similis huic: Omnis homo refurget in die

die iudicii. Ego sum homo. Ergo ego resurgam in die iudicii. Quia in hoc Major est verè revelata. Minor est prorsus scientificè certa. Ast in Monopistico, Major est falsa, Minor falsa, & inanis persuasio. Vin' audire Titi, cui suppar sit syllogismo tuus Monopisticus syllogismus? Audi. Est simillimus huic, quem faceret Nestorianus vel quivis damnatus olim hæreticus: Qui fide divina credit, est justificatus. Ego Nestorianus fide divina credo. Ergo. Vel quem faxit in hunc modum Turca: Qui fide divina credit est justificatus. Ego Turca fide divina credo. Ergo. Non est lacte lacti similius, non aqua aquæ; quàm hi invicem syllogismi. Omnes dicunt uti tu: Major est de fide & revelata. Minor est evidenti experientia certa. Ergo conclusio de fide. Quod tu hisce erronibus responderis, tibi ex me responsum habeto.

### CAPUT III.

#### *Fundamentum tertium.*

**C**Haron. Pergo legere. Quando Apostolus Rom. 3, 28 docet hominem iustificari fide sine operibus legis, non docet sola fide hominem iustificari. Excludit enim opera tantum legis Mosaica. Pitzl. Agnosco fundamentum, ex parte saltem. Neque tamen hic est quod me Titius imperitiæ arguat. Scio Monopistarum opinionem, non unanimem, sed mutuo invicem dissidio in partes distractam esse. Novi quosdam vestrum, opera omnia ita excludere, ut putent justificationi obesse si assint. Lutherus sanè in cap. 2. ad Gal. Fides, inquit, sola & ante charitatem iustificat. Et alibi: Fides nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non iustificat, imo non est fides. Eum æquis passibus secuti sunt rigidi Lutherani in Altenburgensi colloquio, non solum meritum, sed etiam præsentiam bonorum operum à fide iustificante exesse jubentes. Et huiusmodi sententiæ est Monopista, qua cum mihi fuit controversia. Nunquid ita est? Monop. Omnino. Syncera & rigida Lutheri sui discipula. Pitzl. Non sum autem nescius, alios Lutheristas (ex quorum numero tu fies, per me licet) aliter philosophari, & bonorum actuum aliquale consortium admittere. Utri autem minùs ineptè agant, difficilè sit æstimare. Neutri rectè sentiunt. Tu equidem dicis, quod à fide non secludatis, ex parte Dei gratiam & misericordiam, & meritum Christi, & sacramenta. Benè est. Papistæ etiam non secludunt. Nec ex parte hominis repellitis actus bonos, contritionem, amorem, &c. Iterum benè. Nonne & hoc Papistæ faciunt?

Quid

Quid ergo excluditis, cum solam fidem requiritis? Dicitis, vos excludere  
 opera, ut merita in negotio iustificationis, quod hoc non sint digna impetrare remissionem peccatorum. Adhuc bene. Idem Papistæ prorsus agunt. Non potest (ex mente & dogmate Papistarum) peccator quisquis fuit, ullo actu, quantumvis bono & ex gratia Dei profecto mereri verè & condignè primam gratiam aut iustificationem. Ergo adhuc cum Papistis sentitis. At tamen ego ex te quero, meretur ne actus fidei, iustitiam est ne ille dignus impetrare remissionem peccatorum? Si dignus, peiores estis Papistis, quid negant. Si non, ergo & illum debetis à negotio iustificationis secludere. Probo. Ideo reliquos actus secluditis à iustificatione, quia non merentur, neque impetrant dignè remissionem peccatorum. Atqui etiam actus fidei non meretur. Ergo. Nonne hic subsistis cum fide sola, ut butyrum ad solem solet? Profecto illam etiam ab iustificationis consortio expellere, aut alios etiam actus admittere debetis, aut causa ob quam alios actus expellitis, est nulla. Char. Sine dubio causa est nulla, sed hi homines, præ stupore non vident, ad verba Apostoli, quæ non rectè intelligunt, velut polypi ad saxum tenaciter, adhærescentes. Unde addit Titius: *Laterem autem lavas. imò ignorantiam tuam risui exponis, quando excipis, Apostolum hic tantum excludere opera legis Mosaicæ vel naturalis.* Pitzl. Tu verò Titi, hircum mulges & tuam oscitantiam omnium Catholicorum sibilo propinas, cum hæc dicitis, & tam nihil probas. Char. Verba, inquit, Apostoli sunt sole clariora, generalissime patientia. Pitzl. Dicitis; Titi, non probas. Ut sint generalia, non sunt sanè generalissima. Char. *Emphaticè Paulus c. 3. cit. ep. v. 19. 20. de eius legis operibus loquitur, Ex qua est agnitio peccati.* Pitzl. Verum est, quid tum? Char. *De huius legis operibus dicit ibi, non iustificari ex eis coram Deo ullam carnem.* Pitzl. Bene, quid inde? Char. *Hæc autem lex utique non est ceremonialis, sed moralis.* Pitzl. Adhuc bene, quid demum concludis? aut quid hoc nunc ad rem, nisi ut incitiam prodas tuam? Etiam opera moralia bona, quæ ex lege sive Mosaicæ, sive naturali non scripta, citra fidem & gratiam Dei supernaturalem sunt peracta, repellit in hoc salutis & iustificationis opere Apostolus, Si hoc non scisti, nos dicere, cucurbitas huc usque lippisti. Char. *Illustrat Apostolus propositionem suam universalem (fide hominem iustificari sine operibus legis) exemplo Abrahami dudum iustificati.* Pitzl. Concedo Infer. Char. *Falsum itaque aperte rursus est, quod Apostolus à iustificatione excludat tantum opera legis naturalis, seu rectius, iuxta legem, solis nature viribus præstita.* Pitzl. Estne possibile, Charon, tale & tam

tam apertum consequentiæ flagitium, ab aliquo homine, qui Doctor au-  
 diat, committi posse? Non credo hanc ineptiam typis publicis man-  
 datam esse: *Char.* Si non credis, nasum tuum nasutum & oculos igne  
 tartareo flammantes huc inferas face. *Lege* ipsusmet. *Pitzl.* Plutol  
 Phlegethon! ita res habet. Credo Titium semisopitum hæc scripsisse.  
*Char.* Alii cum illo Lutheristæ eodem utuntur argumento. *Pitzl.* Vix  
 mihi persuadeo eam ineptiam in aliquem mortalium cadere posse. Quo-  
 modo enim falsum est, & apertè quidem falsum est, Apostolum tantum  
 opera legis naturalis, solis naturæ viribus præstita à justificatione ex-  
 cludere, si ab eodem Apostolo dicitur Abrahamus dudum sine operi-  
 bus justificatus? Si Apostolus Abrahamum in exemplum effati sui ge-  
 neralis afferret, ac diceret eum sola fide, sine ullis omnino operibus, si-  
 ve naturalibus sive supernaturalibus, cujuscunque demum legis, justi-  
 tiam consecutum esse, tunc equidem palam esset, Apostolum, non ex-  
 cludere opera naturalia legis tantum. Cum verò non ita loquatur, sed  
 de operibus indefinitè tantum, absque ullo vel generalitatis vel parti-  
 cularitatis signo, quomodo apertè falsum est, non excludere tantum na-  
 turalia? Nonne aperta hæc est insania? Aut certè hi homines cerebro  
 sunt hebetes, aut Papistas pro fungis habent, ut tam frivolis cogitatis re-  
 felli posse putent. *Char.* Verùm audi rem miram, quid Titius addat.  
*Pitzl.* Quid addere quæso potest nisi falsum? *Char.* Non fuit primus Lu-  
 therus, qui propositione illa exclusiva (sola nos in Christum fide justificari) sit usus.  
*Pitzl.* In sensu eo, quo Lutherus usus fuit? Falsum est. *Char.* Hosius Pa-  
 pista fatetur, Augustinum, Ambrosium, Bernhardum, multosq; alios eo loquen-  
 di genere usos esse. *Pitzl.* Sensu Lutherico usos esse? Non fatetur. Imò  
 apertè diffitetur. Ergo fallit apertè Titius, aut turpi errore fallitur.  
*Char.* Quorsum verò hic addit Titius de meritis? aut quonam spectat,  
 quod laudat Adrianum VI. Thomam Waldensem, Hosium? *Pitzl.*  
 Nesci? senex? Hæc eo pertinent, ut orbis intelligat Titium cum suo  
 Hamaxandro ineptire & nare valde esse obesa. Nam si de præsentè  
 justificationis negotio est ipsis sermo, uti esse debet, stupidè adducunt  
 testimonia Papistarum, quibus probetur, eos omne propriè dictum me-  
 ritum procul hic habere. Nemo dicit aut dixit unquam, qui Catholicus  
 & Orthodoxus fuit, quenquam justificari ex meritis. Aliud est ex  
 operibus justificari. Opera præter fidem aliqua, requirunt, merita  
 condigna in hoc negotio non requirunt Papistæ. Vel hoc ergo novit  
 Titius, vel non. Si novit, quid in re sibi ignota pueriliter ineptire ge-  
 stit?

fit? *Char.* Ego verò aliam insuper ineptiam observo. *Pitzl.* Scilicet. *Char.* Titius eos testes laudat, qui in rem quadrant, ut pugnus in oculum. *Pitzl.* Rides, slycerium? *Char.* Meritò quidem. Producit Hadrian. 6. qui in 4. de Euchar. eos arguit elationis animi, qui cum ad sacram Eucharistiam se comparant, propriis nituntur meritis sequere eorum causa dignos tali sacramento existimant. Quid hoc ad meritum justificationis? aut quis inde conficiat, Hadrianum omne actionibus nostris meritum abnuere, nisi Titius aut infœlix Titii tyrunculus? Nec quicquam juvat, ineptiam, Thomas Waldensis Carmelita. Non agit hic de merito nostro quod in justificatione, reperitur, neque negat in genere meritum, nisi Pelagianum & Wiclefisticum; id est, ab unis naturæ viribus absque gratia Dei profectum. Patet hoc cuivis, ipsa Waldensis verba ac contextum expendenti, ut Joannis Baptistæ Rubei vel Scholia vel apologiam non sit opus evoluere. Quàm verò ridiculum, quod Hosium in extremo vitæ ad solam fidem recurrentem fingit? *Pitzl.* Quàm benè dicis, fingit? Certè enim fingit, rei falsæ figurus. *Char.* Ita colligit: *Hosius moriens, ad unam Dei misericordiam recurrit, nulla sua propria, sola Jesu Christi merita pro se allegans. Ergo Hosius ad solam fidem recurrit.* Quàm verò elumbis hæc & quàm infantilis consequentia? Quis crederet talem tamque frivolam inscitiam in Doctorem ac Professore Theologiæ publicum cadere posse? *Pitzls* Sed supremum insuper tu hic inscitia & ineptia colophonem animadvertes. Dicit Titius, *ex hisce patere, Papistas in vita Lutheranorum de sola fide, doctrinam calumniari, & in morte ad eam confugere opus habere, si animabus suis rectè consulere velint.* Amabo, mi senex, estne hoc inepto aliquid ineptum magis? Videtur vir iste aut stupidus esse, aut alios pro stipitibus habere. Meritò quis dicat, ô Charon, plus sapere occisam suam, quàm istud insulsum cogitatum. *Char.* Unà tecum miror hanc cerebri doctoralis eclipsin. An non ergo satis mente percipiunt viri isti, vel suam, vel Papistarum de sola fide justificante sententiam? *Pitzl.* Papistæ & viventes & morientes solam fidem Lutheristicam detestantur. Nempe dicunt, creduntque, fidem justitiæ indispensandæ esse necessariam, Addunt verò eam non esse satis, sed insuper requiri, spem, charitatem, contritionem & istiusmodi supernaturales actus à gratia Dei profectos, qui unà cum fide simulter ad justificandum concurrant, non ut meritum de condigno, sed ut meritum de congruo, sive ut congrua moralis dispositio. Unde, cum à peccatis liberari ac in justos evadere satagunt.

gunt, (sive id in vitæ decursu sive in exitu agant) non allegant ulla sua merita, in actu tamen, ut sic dicam, exercito, & defacto, præter fidem in rem præsentem conferunt, timorem, fiduciam, attricionem, amorem, quibus operibus fides comitata iustitiam ac noxarum veniam non meretur quidem, sed certo impetrat. Idem, norunt Papistæ duas esse quasi cœli ac beatitudinis æternæ januas. Unam iustitiæ, quæ meritis proborum pateat, alteram misericordiæ quæ reos quos malorum pœniteat, gratiam recipere solet. Quando ergo ad supremam vitæ mortalis metam consistunt, ex alterutro æternitatis aditu, illum prudenter eligunt, quem sibi ac salutis suæ securiorem existimant. Licet enim non dubitent, plures fideles justos esse in Ecclesia qui meritis opulentati, jure iustitiæ sint mercedem beatitudinis ab æquissimo iudice Deo recepturi: attamen cum de se se ac gratia meritisque propriis nihil certi statuere aut præsumere possint, sed meritò vereri habeant, ut ne orcum potius quam cœlum suis factis sint promeriti, eâ causâ, ad unam Dei clementiam, in foribus misericordiæ se offerentem, animum advertunt suum, & per meritum Jesu Christi veniam culparum orant. Et si quidem hac opus habent, plerumque exorant, sin justi sunt, meritum suum grandi demissionis & modestiæ augmento cumulant. Et si ergo in hoc conveniant Papistæ & Lutheristæ, quod neutri in opere justificationis agnoscunt meritum condignum, ex parte hominis, in multis tamen aliis graviter invicem discrepant. Nam Papistæ in eodem justificationis opere agnoscunt meritum de congruo, quod in actibus supernaturalibus, à fide diversis, consistit, Lutheristæ repudiant. Papistæ, in justis agnoscant verum de condigno meritum, quibus vitam æternam & gratiæ augmentum mereantur, Lutheristæ repellunt. Papistæ tamen nec viventes nec morientes in meritis confidunt suis, etsi frequenter multa & magna habeant. Lutheristæ etiam in meritis nunquam fidunt suis, quin etiam nulla habent, in quibus fidere queant. Istorum ergo diffidentia est ex demissione, horum ex defectu. Unde & isti cum meritis, quibus innixi non fuerant, benè beabuntur, hi sine meritis, quæ neglexerant, malè mulstabuntur. Dic tu nunc Monopista, an non ita esse nunc experiris: *Monop. O experimentum illætabile! Pitzl. Perge nunc legere, Charon.*

## CAPUT IV.

*Fundamentum quartum.*

**C**Haron. *Æquè gratis, & per gratiam justificaret Deus, quantumvis cum fide una & spem & charitatem, ab hominibus exigeret. Et si gratis sit, quod cum fide sit, cur non gratis fiat, quod cum charitate fieret? si gratia non excludit fidem, cur excludunt Lutherani, charitatem à justificatione ejusq; opera? Pitzl. Sed quid contra hæc Titius? Char. Præscribere vult Jesuita Spiritui sancto, sus Minerva. Pitzl. Nugæ nugarum, Spiritus S. per Apostolum dicit nos gratis & per gratiam justificari, idque verum esse ajo, etsi per opera supernaturalia unà fiat. Respondeat verò Titius ad argumentum: si gratis sit, quod cum fide sit, cur non gratis fieret, quod cum charitate fieret? Hic hic ad rem. Si gratia & gratis, non excludit fidem, cur excludat charitatem? Ad rem ad rem, dico. Doceat hic sus Minervam, Titius Jesuitam. Char. *Benè consistunt, inquit Titius, ex fide in Christum ejusq; meritum, & tamen gratis à parte nostra justificari, non autem similiter consistunt ex charitate propria, & tamen gratis justificari. Pitzl. Hoc est verba dare, & principium petere. Ego quæro cur consistat gratia cum fide propria, & non consistat gratia, cum charitate propria? Hic narrem emungat, & aliquid ad rem dicat Titius. Char. Fides, ait Titius, est etiam opus nostrum, attamen in actu justificationis non spectatur à Deo ut opus, nec ex essentia sua, valore & merito, sed unice ex objecto suo, merito Christi, quod ceu manus apprehendit, coram Deo aestimatur. Pitzl. O quantum agit miser Titius ut nihil agat! Amabo quid ad hæc rem, aut ad diversitatem ostendendam, quam quærimus? Esto sit ita de actu fidei. Non spectetur à Deo ut opus nostrum, non appendatur ad pondus essentia suæ aut valoris proprii, aestimetur à Deo unice ex objecto suo & merito Christi, quid tum postea? Idem autem dicatur de actu charitatis, aut cur non dicatur? Et profectò Papistæ dicunt, & rectè dicunt, actum contritionis & dilectionis Dei super omnia, à peccatore elicitum & ad justificationem unà cum fide concurrentem, non spectari à Deo ut condignè meritorium gratiæ aut præmii, cum revera etiam non sit talis, sed purè putè aestimari ex objecto, quod est bonitas Dei in se, & quam apprehendit & intimè amplectitur, & quatenus est dispositio quædam moralis & quidem congrua tantummodo. Quia nimirum Deus suæ clementiæ congruum & conveniens esse videt, ut eum qui amore sui ductus scelera detestatur, non repellat, sed in gratiam recipiat, &**

at, & veniam ultro concedat. Ergo est parissima paritas, neque inanis  
 diversitatis attulit Titius, sed mera & inania verba. Et si fides, in qua  
 juxta explicatum à Titio datum fit expressa mentio meriti, nimirum  
 Christi, non impedit quo minus justificatio ex ea profecta sit ex gratia  
 & gratis, cur impediatur contritio & dilectio, in cujus objecto nullum  
 prorsus meritum, neque adeo Christi quidem clarè & distinctè relucet?  
 Hic sus doceat Minervam, Titius Jesuitam. *Char.* Aliud tamen cona-  
 tur docere Titius. Nimirum verba Apostoli Jacobi: *Abraham pater  
 noster, nonne ex operibus justificatus est, cum obtulisset filium suum super altare.  
 Videtis igitur quod ex operibus iustificetur homo, & non ex fide tantum, etsi ca-  
 nino ritu dentibus tendantur, non posse ad rem præsentem extendi, ut  
 ostendatur hominem ex operibus justificari.* Nam S. Thomas Aquin.  
 comment. ad ista verba, explicat de operibus fidem consequentibus, quæ  
 iustificanti, id est iustitiam exercent, & ostendunt, ut innotescat. *Pitzl.*  
 Magnum sibi hic leporem cepisse visus est lepidus Titius. Sed frustra  
 sibimet plausum facit. Nam imprimis ego ea S. Jacobi verba non lau-  
 daveram, quod scirem de prima justificatione haud satis rectè explica-  
 ri, de qua una mihi erat cum Monopista suscepta sententia. Deinde,  
 esto Aquinas ad eum modum interpreteretur, ut meam causam non ju-  
 vet, ideone ego perii & Titius vici? Si de autoritate S. Thomæ agitur,  
 certè, quicquid sit de hoc Apostoli testimonio, quo spectet, quo non spe-  
 ctet, certissimum est, illum cum Papistis statuere, fidem non solam, sed  
 eam, quæ per dilectionem operatur, causam esse, qualem qualem demum,  
 justificationis impii. Legat Titius 2. 2. q. 113. a. 3. 4. 5. & si cerebrum  
 habet, neget, Angelicum Doctorem in negotio justificationis admitte-  
 re, cum fide actus timoris, humilitatis, misericordiæ, charitatis, dete-  
 stationis peccatorum. a. 4. ad 1. sic habet: *Dicendum quod motus fidei non  
 est perfectus, nisi sit charitate informatus, unde simul in iustificatione impii,  
 cum motus fidei est etiam motus charitatis. Movetur autem liberum arbitri-  
 um in Deum ad hoc, quod ei se subiiciat: unde etiam concurrens actus timoris fi-  
 lialis & actus humilitatis. Paulò post. Actus autem misericordiæ operatur  
 circa peccatum per modum satisfactionis, & sic sequitur iustificationem: vel per  
 modum preparationis, in quantum misericordes misericordiam consequentur, &  
 sic etiam potest precedere iustificationem, vel etiam ad iustificationem concu-  
 rere cum aliis virtutibus, secundum quod misericordia includitur in dilectione  
 proximi, art. 5. ad 3. dicendum quod in tempore precedente iustificationem oportet*



Et quod homo singula peccata quæ commisit, detestetur quorum memoriam habet & ex tali consideratione precedenti, subsequitur in anima quidam motus deestantis universaliter omnia peccata commissa, inter quæ concluduntur peccata oblivioni tradita: quia homo in illo statu est sic dispositus, ut etiam de his quæ non meminit, contereretur, si memoria adesset: & iste motus concurret ad iustificationem. O Titi, Thomæ magni dextrâ cadis, accipe ferrum, & deinceps, ni pro amente haberi velis, Aquinatem contra Papistas in hac lite ne producito. Char. Hoc jam habet Titius. Quod sic ille hæc plagas non persentiscit Arcadico perpol est corio. Pitzl. Perge legere cætera.

## CAPUT V.

### Quintum Fundamentum.

Charon. Non ex mente Apostoli, gratia & gratuita iustificatio, excludit opera universa, quia Rom. 8, 24. docet Apostolus. spe salvi facti sumus. Et 1. Cor. 13, 3. si charitatem non habeam nihil mihi prodest. Pitzl. Quid Titius contra? Char. Hic mera, inquit, textus ignorantia regnat. Pitzl. Mera Titii cavillatio hic regnat. Probet ignorantiam. Char. Probat ita: D. Paulus, non dicit, ex spe per spem, sed tantum spe salvari. Pitzl. Benè est, quid infert? Ergo est ignorantia textus, si quis Jesuita dicat, S. Paulum actum spei requirere ad iustificationem? O subtilitas! O stupor! Char. Neque dicit Apostolus nos spe salvari eo sensu, ac si esset instrumentum adipiscende salutis. Pitz. Quomodo probas Titi, hunc non esse sensum Apostoli? Si tibi dicere est satis, mihi & Papistis non est satis. Char. Sed hoc saltem dicit, salutem nostram in hac vita mortali esse in spe, & futuram saltem. Pitzl. Frustra es Titi. Dicis tantum, nihil probas. Rident Papistæ, & te meo Pitzliputzlii ex naso suspendunt, idque jure merito. An tu putas, os tuum balistam esse quæ verba in lapides mutet; & fundamenta Papistarum illico diruat? Erras, erras. Contraria asserere, non est contraria probare. Char. Pergit tamen ad eundem ineptiendi & nugandi modum Titius. Audi.

## CAPUT VI.

Fundamentum VI. Gratia Dei, excludit solummodo opera vel de condigno meritatoria, vel quæ ante fidem divinam susceptam, ab unis natura solius, & à gratia minimè adiuta & elevata viribus, ortum habent: Supernaturales verò actus à fide & gratia Dei proficiscentes, & de congruo tantum meritoy, multa ratione

ratione à iustificatione arcentur. Pitzl. Solida doctrina, in scripturis & sacris Patribus fundata. Char. Titius indoctas nugas appellat. Pitzl. Susrosam culpam, graculus Musam exhibet, cicada Apollinem damnat. Char. Dicit se exemplo Abrahami ad fundam, & refutasse. Pitzl. Refutasse? Char. Quia scilicet Abraham placuit Deo, & iustificatus est sola fide, absque operibus etiam supernaturalibus. Pitzl. Nego placuisse, nego iustificatum absque illis, nego Titium id probasse. Char. Titius dicit. Pitzl. Ita est, sed non probat, neque probavit. An dicere est probare? Char. Paulus omnia opera simpliciter excludit. Pitzl. Nego, nego. Fidem & fiduciam, vel Titio autore non excludit. Char. Ostendimus ad fund. 3. Pitzl. Nugæ! Non ostendistis. Char. Quin & absurdum, nec opus esset Apostolum à iustificatione excludere opera saltem meritoria de condigno, si de prima iustificatione loquantur. Pitzl. De prima loquimur. Sed amabo, ut probat hanc rem inficetam Titius? Char. Audi. Homo enim ante eam est extra statum gratiæ. Pitzl. Concedo. Char. Est mala arbor qua non potest bonos, nedum meritorios de condigno fructus facere. Pitzl. Concedo, quid inde? quid infert Titius? Ergo non opus est Apostolum iustificatione prima, actus de condigno meritorios excludere? O cerebrum hominis! itane? Imò verò ea vel maximè ex causa Apostolus excludere debuit & revera excludit. Char. Enim verò delirat vehementer Titius, ut video. Nam si ante iustificationem primam non sunt in homine merita de condigno, opus fuit, ut Apostolus, nisi amens ille esset, ea à prima iustificatione se jungeret. Quomodo enim Apostolus oratione non excluderet, quod reapse erat exclusissimum? Quomodo ergo Titius colligit absurdum & opus non fuisse ut excluderet? Ad Anticyras cum viro isto. Ni helleboro multo potetur, peribit misero cerebrum. Pitzl. Perge porrò Charon, si quid habes. Distædet nugarum tam puerilium. Finem ocyus face.

## CAPUT VII.

Charon. Fundament. VII. Fides quidem salutaris est, sed non omnis, sed ea solummodo, qua per caritatem operatur. Atqui tua, Lutherane, fides, omnium bonorum operum comitatu est destituta--tu bona opera neglexisti. Pitzl. Hoc in Monopistam telum fuit, quo miseram confeci. Nunquid ita est? Monop. Ita. Pitzl. An non Minorem, ex tua ipsius doctrina quam vivens tenueras, ultro concessisti? Monop. Concessi sane. Pitzl. Quid ergo calumniatur Titius? Char. Negat hoc omnium Lutheranorum esse dogma

gna commune, ut fidem bonorum operum comitatu destitutam, pro-  
 bent. *Pitzl.* Neget Titius. Quid mihi cum Lutheranis universim omni-  
 bus, quos novi Cadmæos esse fratres, mutuis invicem dissidiis flagran-  
 tes? Ego in Monopista eos adgressus sum, qui uni fidei iustificationem  
 ita adscribunt, ut spem, charitatem, & cætera opera omnia prorsus ab  
 eare eliminent. Et eiuscemodi ego homines non semel audii cum,  
 ita disertè opinionem suam, adeoque mordicus tuerentur, ut absque  
 Arcadico stupore dubitare non quirem. Quod si ab iis quidem dis-  
 sentit Titius, ideo ego vel stolidus vel calumniator? Sed satis est, Cha-  
 ron. Tu chartas tuas indoctis affaniis malè refertas quo lubet conii-  
 cito, aut scombris tunicas inde conficito. Ego ad stationem meam re-  
 verto, ut animorum aucupio vacem. *Char.* Quid de animula verò ista?  
*Pitzl.* Ad generum Ceteris trans styga profundum adducito. Illic ibi  
 solitariæ fidei pœnas, sed non sola dabit. *Char.* Attamen Pitzliputzli,  
 perlepidum hoc Titii schedion ad rostrum unci nasi tui pendere finito.  
 Non est in orbe locus, qui conveniat magis. Et tutè initio eo destinaisti.  
*Pitzl.* Dicet Titius, scurrille esse, ex naso pendere. *Char.* Quid Titius  
 Semproniusve dicat, tuum non est curare. Ubi unamquamq;  
 rem æquum est pendere, ibi pendeat.

F I N I S.



Gilb

33833

1280-

**Sammelband.** 33 Schriften zur Reformationgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu  
Überapparat angebracht

4/187/10

